

*MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81627-17*

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

LESSING, KARL

TITLE:

DE ARISTOPHANE
EURIPIDIS INRISORE...

PLACE:

HALIS SAXONUM

DATE:

[1877]

Master Negative #

93-81627-17

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

88Ar5	
DZ2	Lessing, Karl, 1853-
v.4	De Aristophane Euripidis inrisore quaestiones selectae. Dissertatio inauguralis philologica quam ... publice defendet auctor Carolus Lessing ... Halis Saxonum, formis Ploetzianis [1877] 48 p. 22 $\frac{1}{2}$ cm.
	Thesis, Halle, 1877.
	Volume of pamphlets
180003	

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 8/2/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

BIBLIOGRAPHIC IRREGULARITIES

MAIN
ENTRY:

Lessing, Karl
De Aristophane Euripidis...

Bibliographic Irregularities in the Original Document

List volumes and pages affected; include name of institution if filming borrowed text.

_____ Page(s) missing/not available: _____

_____ Volumes(s) missing/not available: _____

_____ Illegible and/or damaged page(s): p. 5-6

_____ Page(s) or volumes(s) misnumbered: _____

_____ Bound out of sequence: _____

_____ Page(s) or illustration(s) filmed from copy borrowed from: _____

_____ Other: _____



**BEST COPY
AVAILABLE**



AIM

Association for Information and Image Management



1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202



Centimeter



Inches



MANUFACTURED TO AIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

88Ar5

D22
4

Columbia University
in the City of New York
Library



BOUGHT FROM
THE

Henry Drisler
Classical Fund
1895

Contents.

- no. 1. Leo, F. Quaestiones Aristophaneae. 1873.
no. 2. Lessing, K. De Aristophane Euripidis.
1877.
no. 3. Lorentz, F. De Aristophanis spe. 1865.
no. 4. Ludwig, T. De enuntiatorum interro-
gativorum. 1882.
no. 5. Muhl, J. Symbolae ad rem scaenicam.
1879.
no. 6. Jahresbericht über die königliche. 1873.
no. 7. Neumann M. De imperativ apud
epicos. 1885.
no. 8. Petri, F. De enuntiatorum. 1887.
no. 9. Prause, O. De particulae prin. 1876.

No. 2

DE
ARISTOPHANE EURIPIDIS
INRISORE QUÆSTIONES SELECTÆ.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS
UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIIS
IN AUDITORIO MAXIMO

DIE XXII. M. FEB. A. MDCCCLXXVII HORA XII

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

CAROLUS LESSING
BEROLINENSIS

~~~~~

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

L. MANN, DR. PHIL.

O. KABISCH, CAND. PHIL.

---

HALIS SAXONUM  
FORMIS PLOETZIANIS

en  
viri  
trar

LIBRARY OF THE  
MUSEUM OF NATURAL HISTORY

1881

1881

**Aemilio Huebnero**

8.

Aristophanis studium, quod quantum et delectationem adferat et utilitatis nemo ignorat, cum multas habet difficultates tum singulare quoddam periculum. Quoniam enim nemo dubitat, quin summus sit Aristophanes poeta — fuit autem, cum tamquam improbus scurra contemneretur —, facile fieri potest et saepe factum est, ut idem optimus civis et perfectissimus homo fuisse iudicaretur, qui nihil umquam iniusti falsive de industria pronuntiasset, qui nihil antiquius habuisset, quam ut optima quaeque cives doceret. Sed postquam longe aliam sententiam professus est Droysenus, plerique viri docti intellexerunt, artem poetae et ingenium ipsa esse admirandum, ne in singulis rebus examinandis nostro iudicio abstineamus neve obliviscamur, iocandi vel inridendi causa permulta comicos plane finxisse. Quae igitur in adversarios iactaverunt obprobria, eis nisi summa cum cautione non est utendum; ac multa iam eius modi convicia ex historia Graeca eiecta sunt, restant quaedam eicienda, quae furca expulsa tamen usque recurrerunt.

At etiam artem poeticam, tragicam potissimum, comici in iudicium suum vocaverunt. Sic enim existimare se declarat Aristophanes (Ran. v. 1009), nullum esse verum poetam, nisi qui meliores redderet cives. Quod quia illo iudice Euripides non modo non faciebat, sed etiam mala atque perniciose docebat, perpetuae Aristophani cum nobilissimo tragico intercesserunt inimicitiae, neque umquam ille desiit, Euripidem vel facetissime inridere vel acerbissime reprehendere. Atque apud posteros nullius poetae maiorem fuisse auctoritatem quam Euripidis constat inter omnes. Permulta igitur a viris doctis de Aristophane Euripidis adversario in contrarias partes sunt disputata. Quam quaestionem si quis ratio

allor, conviciorum genera erunt, quae ad gentem Euripidis spectant, alterum eorum, quae spectant ad gentem inludendam vel vituperandam. Atque huius generis obprobriis multo facilius erit quaestio, neque ita multa et in medio posita; quae si conluduntur et historicorum, ut ita dicam, ratione examinata, facile erit ad cognoscendum, num quid veri eis subesse existimandum sit. Cum vero ad ea transimus, quae poetae Euripidi probro vertuntur, quantus quamque latus aperitur campus! Iam primum haud exigua opera consumenda erit, si quis omnia, quae huc pertinent, congerere susceperit et disponere; id quod non tam facile est quam cuiquam videri possit. Interest autem magni, utrum Euripidis ars et ingenium vituperetur in universum, an certa aliqua tragoedia reprehendatur; deinde utrum tragoediae ipsum argumentum improbetur an boni argumenti mala tractatio; tum utrum ad totam tragoediam pertineat vituperatio an singuli loci inrideantur; illud enim multo gravius esse quis est, quin intellegat? De omnibus autem huius generis conviciis adparet aliter esse indicandum atque de illis, quae ad privatum Euripidem spectant. Etenim de gente, de moribus poetae fingere quaedam poterat comicorum petulantia, non de ipsis tragoediis, quas spectaverant Athenienses et legebant. Itaque si diiudicare volumus, merito Aristophanes Euripidem reprehenderit necne, ad artis poeticae leges revocabimur, de quibus numquam consenserunt viri docti neque umquam consentient. Accedit quod latius me quidem indice patet illa quaestio, quam ut hac dissertatione possit profligari. Quae cum ita sint, satius duxi id potissimum quaerere, num quae cernatur Aristophanis ratio in poeta Euripide inridendo; quam si quis indagare studebit, non solum quid reprehendat Aristophanes in poeta tragico erit attendendum, sed etiam quid non reprehendat et probet. Tali autem quaestione spero posse aliquid inferri ad artem comici intellegendam. Forsitan quisquam dixerit, cum tot et Aristophanis et Euripidis fabulae deperissent, non posse certi quicquam statui de comici in-

ridendo tragico ratione. Atque id quidem concedere non dubito, esse in nostra hac quaestione, quae non liceat nisi per transennam quasi adspicere, esse etiam, quae quia non possint sciri debeant nesciri. Sed quamvis multae Euripidis fabulae interierint, tamen plurimarum argumenta etiam nunc possunt investigari, ita ut certa quaedam genera, certae quaedam aetates poesis Euripideae cernantur. Iam si contigerit, ut ostendatur, numquam, quod quidem sciamus, ab Aristophane certi cuiusdam generis fabulas rideri, num id casui tribuemus? Immo in ratione comici et consilio causam positam esse nostro iure statuemus.

Ex eis, quae modo exposui, intelleges opinor, quid iudicem de Rudloffii libello, qui inscribitur *De Aristophane Euripidis irrisore*, (dissert. Berol. 1865). Qui v. d. id potissimum egit, ut Euripidem a comici iniuriis defenderet. Sed quae protulit *de Euripide privato ab Aristophane irriso*, ea omnia falsa esse spero me probaturum; de sophista vero et poeta Euripide quae disputavit, ad meam hanc quaestionem nihil pertinent. Vera sint ex parte forsitan magna; at vereor, ne comici sectatores refutatos sese illo libello esse negent.

Sed transeamus iam in medias res; ac primum quidem, ante quam de ipsis Aristophanis conviciis agamus, perlustremus eius comoedias cognituri, in quibus potissimum Euripidem vellicaverit<sup>1)</sup>. Nam etsi verum videtur quod Bergkii (Com. II, p. 912) dixit, nullam fere esse Aristophanis comoediam, in qua illi pepercerit, eae tamen inter omnes, ut ita dicam, excellent, quarum argumenta aut tota aut ex parte in Euripide perstringendo versantur. Cuius generis extant hodie fabulae tres, in quibus ipse poeta inducitur: *Acharnenses* *Thesmophoriazusae* *Ranae*, actae annis 425, 410, 405. Quid igitur? Intra hos viginti annos alias etiam contra Euripidem scriptas esse comoedias nonne veri simillimum? Nec enim metuo, ne quis credat ipsi Aristophani plus semel adfirmanti,

<sup>1)</sup> De ceteris comicis non audeo certi quicquam statuere. Quamquam admodum memorabile est, paucissima eorum extare fragmenta, quibus inludatur Euripides; videntur ei fere omnes pepercisse.



novis semper argumentis sese uti. Eligamus iam unum eius modi locum, cuius rectam interpretationem non sine fructu suscipiemus. In Vesparum v. 54 sq. gloriatur poeta, noluisse se in ea fabula neque humilibus artificiis neque tritis ineptiis uti neque eandem rem quam prius tractare:

ἡμῖν γὰρ οὐκ ἔστ' οὔτε κάρυ' ἐκ φορμίδος  
 δούλω διαρριπτοῦντε τοῖς θεωμένοις,  
 60 οὐδ' Ἡρακλῆς τὸ δειπνον ἐξαπατόμενος,  
 οὐδ' αὖθις ἐνασελγαινόμενος Εὐριπίδης,  
 οὐδ' εἰ Κλέων γ' ἔλαμψε τῆς τύχης χάριν,  
 αὖθις τὸν αὐτὸν ἄνδρα μυττωτεύσομεν.

De his versibus postquam permulta a viris doctis disputata sunt, acutissime egit U. de Wilamovitz-Moellendorff<sup>1)</sup>, nec tamen ita, ut omnia mihi persuaserit. Sed hoc loco missas facio ceteras quaestiones, quippe quae breviter absolvi non possint: de solo versu 61 disputandum est.

Perspicuum est neque a quoquam negatum, v. 62 ad Equites referendum esse; iam, cum dicat Aristophane vs. 61, non fore, ut iterum carpatur Euripides, quaeritur, quam comoedia aut quibusnam comoediis ante actam Vespas eum inriserit. Nemini non veniet in mentem lepidissimae Acharnensium scaenae, quam sine dubio respexit Aristophanes<sup>2)</sup>. At alia narrant scholia; ubi leguntur haec: *κατ' αὐτοῦ γὰρ καθῆκε τὰς Θεσμοφορίαζούσας· φησὶν οὖν, οὐ δεύτερον ταντολογήσω περὶ αὐτοῦ ὡς οἱ ἄλλοι· οὐ μόνον δὲ ἐν τούτῳ τῷ δράματι εἰσῆκται οὕτως Εὐριπίδης, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ Προαγῶνι καὶ ἐν τοῖς Ἀχαρνεῦσιν.* Rectissima de hoc loco Wilamoviti est ratiocinatio<sup>3)</sup>. Habes primum contra tempus mendum, qualia apud veteres grammaticos non ita raro inveniuntur; inepta sunt et fatua quae secuntur usque ad verba *οἱ ἄλλοι*<sup>4)</sup>; gravissimum vero quod restat scholium. Etenim codex Ve-

<sup>1)</sup> Observationes criticae in comoediam Graecam selectae (dissert. Berol. 1870) I.

<sup>2)</sup> Eadem nunc est Wilamoviti sententia; v. Hermae vol. IX, p. 330 adn.

<sup>3)</sup> Observ. crit. p. 11 sq.

<sup>4)</sup> Certissimum est enim, hoc quidem versu suam quandam, non alius poetae comoediam respicere Aristophanem.

netus teste Duebnero (adn. ad schol. p. 450) exhibet *οὐ μόνον ἐν τοῖς Δράμασιν*, atque ita legendum esse agnovit ipse Duebnerus. Iam habemus antiqui et boni commentarii particulam et intellegimus, scriptorem eius vs. 61 ad Dramata relato enumerasse ceteras comici fabulas usque ad annum 422 doctas, quibus Euripides erat inrisus. Atqui duae comoediae *Δράματα* erant inscriptae, altera *Δράματα ἢ Κένταυρος*, altera *Δράματα ἢ Νιοβος*: quaeritur, utram designaverit grammaticus. Spuria erat Niobus et post Vespas sine dubio acta; adparet igitur, Centaurum significari: Quando autem docta est Centaurus? Lenaeis anni 426 respondet Wilamoviti (p. 15), nec possum facere quin adsentiar. Hesychio auctore scimus, Aristophanem in Dramatis urbem Athenas *βύρσαν* adpellasse<sup>1)</sup>; nonne apertum, id ad Cleonis tempora revocandum esse? Itaque recte posuit Wilamoviti (p. 18), illud fragmentum ex Centauro petiit eamque intra annos 426—422 esse scriptam. Adde eiusdem v. d. computationem hanc: annis 424, 423 iam binae adscribendae sunt fabulae (Equites Agricolae-Onerariae Nubes I.); Lenaeis 425 cum Acharnenses ageret in conscribenda Equitibus occupatus erat Aristophanes (Ach. 300), duas vero fabulas etiam primo anno, quo in publicum prodibat, vix tradere audebimus — unum restat festum tempus, quo Centaurus docta esse potest Lenaea 426, cuius anni Dionysiis Babylonii acta est. Haec verissima puto neque dubito, quin ipse Aristophanes Acharn. v. 1155 fabulam proximis Lenaeis doctam, Centaurum sc. tetigerit.

De argumento Centauri hoc tantum ex fragmentis elicere possumus, Herculem cena privatum in ea repraesentatum esse; addere licet ex scholio illo, Euripidem ita inrisum, ut ipse in scaenam induceretur, si quidem adcurate dixit grammaticus *εἰσῆκται*. Quo modo haec duo argumenta inter se coniuncta fuerint, omnino nescimus. Ceterum cum Equites primam suo nomine docuerit poeta, Centaurum quoque alii viro docendam traditam esse efficitur; nec ita magno plausu comprobata coniecerim, cum Aristophanes numquam ea

<sup>1)</sup> v. Bergk, Fragm. Com. II, p. 1062.

glorietur. Memorat Acharn. vs. 1155 et fortasse Vesp. 61; etsi enim veri simillimum est quod coniecit Wilamovitius, vs. 60 recte a scholiasta referri ad Centaurum, tamen fieri potuisse opinor, ut eandem bis tangeret poeta<sup>1)</sup>.

Sed etiam in Proagone Aristophanis inductum esse Euripidem idem scholium docet, inrisum demonstrant fragmenta. Actam esse Proagonem per Philonidem cum ipse Aristophanes docebat Vespas, si non certum putandum at veri simile est. Sunt tamen qui negent prae fracte. Petersenus quidem in Fleckeiseni Annal. 1862 p. 665 contendit, Proagonem anno 422 doctam non fuisse Aristophanis; etenim cum Vesp. vs. 61 praedicaret poeta, nolle se iterum perstringere Euripidem, non potuisse fieri, ut nihilo minus eodem festo die perstringeret. Quod argumentum satis futile esse mihi videtur. Praedicat sane illo loco poeta, non fore, ut in Vespis rursus inludatur Euripides: quod si tamen eundem in posteris fabulis saepissime vellicavit, quid ni inluserit in Proagone vel eodem die? Quotiens adfirmet comicus, nolle se facere id ipsum, quod saepissime fecit, satis profecto notum. An vero existimabimus, spectatores cum post actam Vespas Euripidem facetissime inrisum viderent in Proagone, non sustulisse cachinum, sed memores illius loci aegre tulisse, quod poeta non stetisset promisso? Adde quod per Philonidem doctam esse Proagonem ponimus; nec quisquam persuasit mihi, statim agnovisse spectatores aut scisse, quisnam re vera esset fabulae scriptor. De eis autem, quae Hillerus in Hermae vol. VII. p. 450 disputavit, adsentior Wilamovitio (Analecta Euripidea p. 153, 4) recte dicenti, probabile esse Aristophanis Proagonem memorari, quam novimus, fabulam victricem, non Philonidis quam ignoramus. Itaque intra annos 426 — 420 tribus Euripidem comoediis carpsit Aristophanes. Ac ne in ceteris quidem fabulis ullam occasionem praetermisit, quin obiter eundem perstringeret.

Sed si ultra annum 420 progredimur, multo difficilior

<sup>1)</sup> Negat Wilamovitius in Hermae vol. IX, p. 330 adn.; sed videtur nimis premere comici verba.

efficitur quaestio propterea quod de plerisque comoediis deperditis paucissima sciri possunt. Habes Thesmophoriazusas et Ranas, quae totae fere spectant ad Euripidem inludendum eiusque artem explodendam. Cetera incerta. De Lemniis Polyido Phoenissis postea videbimus. In Danaidibus coniecit Bergkiius (Com. II, 1047) Aristophanem composuisse scaenicam artem, quae fuit antiquitus, cum ea specie, quae sua vixit aetate, severeque de tragicorum poetarum laudibus iudicavisse; quod si verum est, Euripidi certe non pepercit. Idem de Gerytade post annum 405 acta potest adfirmari; simile fuit argumentum Ranas, cantica Euripidea commemorantur in frg. 8. Postremo de Aeolosicone extat Platoni testimonium (v. Duebneri Proleg. I.) hoc: *Ἄολον τὸ δράμα τὸ γραφὴν τοῖς τραγῳδοῖς, ὡς κακῶς ἔχον διασύρει*. At mittamus iam lubricas de amissis fabulis quaestiones. Enumeravi eas, quarum ad argumenta pertinuisse Euripidis inrisionem aut certum est aut conligi potest. Vides, Aristophanem inde a secunda comoedia (Centauro) usque ad postremam (Aeolosiconem) eidem poetae bellum quasi intulisse perpetuum. Neque mirandum est, quamquam non nulli sunt mirati, quod ne mortuo quidem maledicere desiit. Etenim non tam virum quam poesin eius reprehendit; poesin autem Euripideae auctoritas quantopere post mortem poetae creverit quis est qui nesciat?

Notissimum est, Aristophanem multas comoedias vel Callistrato vel Philonidi mandasse docendas; in quo singulari quadam ratione videtur esse usus. Anonymus enim qui dicitur *περὶ κωμῳδίας* III. (apud Duebnerum), quem ex optimis fontibus hausisse dudum intellectum est, haec de Aristophane tradit: *τὰς μὲν γὰρ πολιτικὰς τούτω (Καλλιστράτῳ) γασὶν αὐτὸν δίδοναι, τὰ(ς) δὲ κατ' Εὐριπίδον καὶ Σοκράτους Φιλωρίδῃ*<sup>1)</sup>. Haec ficta esse et commenticia ut credam animum non possum inducere. Immo statuendum esse arbitror, recte se habere illam comici adiutorum distinctionem. Quid enim?

<sup>1)</sup> Praeclare de hoc loco disputavit Petersenus in Annal. 1862, p. 654 sq.

Potestne quicquam adferri, quod labefactet optimi grammatici fidem? Ranas docuit Philonides, Proagonem idem, de Thesmophoriazasis nihil traditum est. Quod autem Acharnenses per Callistratum acta est, nihili facio; apertum est enim, eam comoediam rectius *πολιτικὴν* dici quam scriptam *κατ' Εὐριπίδου*. At enim de Nubibus exoritur dubitatio. Nubes si non docuit Philonides, ariolatur grammaticus, utpote qui τὰ κατὰ Σωκράτους illi mandata esse testetur. Recte de hac quaestione egit Bergkiius in *Fragm. Com. II.* 913. Quod traditur Nubium argumentum V. (apud Meinekium) minime adversatur grammatico, neque quae ex scholiis adferuntur auctoritatem eius frangere possunt: Nubes docuit Philonides. Quaeret quispiam, quanam de causa unum genus fabularum Callistrato, Philonidi alterum mandarit poeta. Nescio neque est huius loci coniecturas explicare; res ipsa certissima est.

Venio nunc ad percensendas singulas res, quas Euripidi probro vertit comicus; atque priore quidem loco de eis agere in animo est, quae non poetae, sed privato homini obiciuntur. Primum igitur numquam destitit Aristophanes cavillari tragicum propter generis humilitatem; facetissime etiam atque etiam narratur, matrem eius holeribus venditandis quaestum sibi parasse. Legimus idem convicium Ach. vs. 457, 478; Equ. 17—19; Thesm. 387, 456, 910; Ran. 840, 947; quos locos si inspexeris, agnosces summi poetae ingenium, qui eandem rem alio loco aliter proferat, interdum summa cum urbanitate, sicut Ran. vs. 840, ubi versus simul Euripideum lepidissima parodia expressit. Ceterum de matre poetae idem memoriae prodiderant Alexander Aetolus teste schol. Ran. 840<sup>1)</sup> et Theopompus auctore Gellio XV, 20, crediderunt grammatici multi — non omnes —, adfirmant Aristophanis interpretes (etiam Droysenus). Rudloffius<sup>2)</sup> vero

<sup>1)</sup> Nominatur ibi Alexander; Aetolum intellegendum esse docuit Ritschl opusc. I, 17. Eiusdem de Euripide versus servavit Gellius XV, 20

<sup>2)</sup> De Aristoph. Eur. irris. p. 9.

diserte exponit, de comici fide dubitari non posse; quin etiam coniecturam facit, quanam re commotus sit Euripidis pater, ut in matrimonium duceret *λαχανοπωλήτριαν*.

Apertum est neque quisquam quod sciam negavit, probri illius unum fontem esse ipsum Aristophanem; ex quo Alexander sine dubio hausit sua, Theopompum vero cupide adripuisse illud convicium quid mirum? utpote qui maledicentissimus esse tradatur haud uno teste, quique Plutarcho (Lys. 30.) iudice dignior sit fide ubi laudat quam ubi vituperat. Itaque solius comici auctoritas in iudicium est vocanda.

Si quis humili loco ortus magnam in civitate auctoritatem sive ingenio sive rebus gestis adeptus est, fieri non potest, quin obtrectatores ei generis ignobilitatem obiectent. Sed haud raro etiam nunc evenit, ut de clarissimorum hominum genere fingantur fabellae, quae quamvis infirmo fundamento nitantur, tamen paullo post in omnium ore sunt. Accederē solent de vita eorum privata narratiunculae eo plures, quo quis minus in hominum conspectum venit. Quid igitur? talia ab Atheniensium moribus abhorrere numquid contendet? talia a comicis non modo non contempta, sed libentissime adhibita esse ad ridendos adversarios numquid negabit? An vero putandus est Aristophanes, antequam eius modi convicia comoediis suis insereret, inquisivisse diligenter, vera essent necne? Credat Judaeus Apella! Equidem sic existimo: si quid eius generis male dictum solius comici auctoritate nititur, maxime dubitandum esse, numquid veri subsit. At enim probe scio, non deesse, qui tali argumentatione Aristophanis sui auctoritatem labefactari non sinant. Quid vero quod illud ipsum de Euripidis matre obprobrium qui refellerent iam apud veteres extiterunt? quid quod summo loco natum esse Euripidem testantur auctores gravissimi? Apud Athenaeum X, 424 *E* leguntur haec: *ὄνοχόουν τε παρὰ τοῖς ἀρχαίοις οἱ εὐγενέστατοι παῖδες — καὶ Εὐριπίδης ὁ ποιητὴς ἐν παιδῶν ὄνοχόησι. Θεόφραστος γοῦν ἐν τῷ περὶ μέθης φησὶ πυνθάνομαι ἔγωγε, καὶ Εὐριπίδην τὸν ποιητὴν οἰνοχοεῖν Ἀθήνησι τοῖς ὀρχησταῖς καλουμένοις.* Iam evolve Suidae de Euripide capitulum; invenies haec: *οὐκ ἀληθὲς δὲ ὡς λαχανό*



πολις ἦν ἡ μήτηρ αὐτοῦ· καὶ γὰρ τῶν σφόδρα εὐγενῶν ἐτέγγανεν, ὡς ἀποδείκνυσσι Φιλόχορος. Quos locos Rudloffius ne cognosse quidem videtur. Ego vere hoc mihi videor esse dicturus: cum Euripidis nobilitas a talibus confirmetur auctoribus, quales sunt Theophrastus et Philochorus, falsum esse et abiciendum comici convicium, quod unde conflatum sit nec sciri potest nec quaerere refert. Iam intellegimus, non sine recto iudicio grammaticum quendam de genere Euripidis ita dixisse: *τοῦτον οἱ τῆς ἀρχαίας κωμωδίας ποιητὰ ὡς λαχανοπώλιδος κωμωδοῦσι*; nimirum illud probrum si non refutare at certe non confirmare voluit. Iam intellegimus, quid sit quod Valerius Maximus (III, 4 ext. 2) narrat: ‚Quam matrem Euripides (aut quem patrem Demosthenes) habuerit ipsorum quoque saeculo ignotum fuit.‘ Addit Valerius ‚Alterius (Euripidis) autem matrem holera venditasse omnium paene doctorum litterae locuntur;‘ quae verba ad nostram etiam aetatem aptissime quadrant. Inlustrissimum opinor hoc est exemplum non evitati illius periculi, de quo in huius dissertationis initio disputavi. Ceterum nominatim Euripidis matrem numquam adfert Aristophanes, et valde dubium est, num recte sit Clito a grammaticis nominata. Wilamovitium quidem audivi dicentem, non dubitare sese, quin commenticium sit illud nomen <sup>1)</sup>. Sed haec hactenus.

Quodsi convicio illi merito denegavi fidem, hoc mihi videor meo iure contendere, ubicumque comici exprobrant inimicis humilitatem generis, cavendum esse, ne simpliciter credamus — id quod volgo fit — maledicentissimorum hominum testimonio. Etenim si unum eius modi probrum falsum esse intelleximus, de ceteris dubitari non potest, sed debet.

Nunc quoniam vidimus de genere Euripidis, transeamus ad ea, quae in ipsius poetae vita et moribus ludibrio fuerunt Aristophani. Ac principio hoc videtur praemonendum: Fuit Euripides, ut ait Suidas, *συνθροαπὸς τὸ ἦθος καὶ ἀμειδῆς καὶ φεύγων τὰς σκηνώσεις*; remotam igitur a civium conspectu

<sup>1)</sup> Adde quod etiam Aristophanis matri falsum imposuerunt nomen, quo reperto olim exultabat gaudio Thierschius (in ed. Thesm. Halberst. 1832 p. X.), Zenodora sc., quod nomen ne Atticum quidem est.

degit vitam, ita ut de domesticis eius rebus nihil fere scire possent. Solent autem, ut supra dixi, de eius modi maxime hominibus, cum praesertim praeter ceteros florent ingenio et arte, nasci narrationes famosae, quibus fidem habere summae est temeritatis. Accedit quod numquam defuerunt, qui ea accuratissime scire sibi viderentur, quae scire non possent. Quid vero, si demonstrari potest vel probabiliter conici, ad ridiculas illas fabellas, quae vitam Euripidis deformant, fingendas ansam praebuisse unam quandam rem male intellectam?

Thesmophoriazuserum argumentum totum in eo positum est, quod mulieres inducuntur ulturae Euripidem, quippe qui in tragoediis acerrimum se praebeat mulierum osorem easque pessimas et nequissimas esse viris persuadere studeat. Idem de tragico praedicat senum chorus in Lysistr. vs. 283, 368, 369; at in Acharnensium illa scaena nihil eius modi reperies; ex quo intellegitur, anno 425 Euripidem mulierum inimicum nondum audisse. Certissima est enim lex, si quis vellicandus in scaenam vocabatur, omnia protulisse comicum quaecumque de vita illius et moribus cognorat inridenda. Habes igitur certum temporis spatium, intra quod ortam esse illam fabellam possis adfirmare: annos sc 425 et 411. Cum autem luce clarius sit solos eius fontes esse illas tragoedias, quibus Medae et Phaedrae et Melanippae repraesentabantur — memineris Thesm. vs. 546 sq. — efficitur, potuisse fieri, ut etiam anno 425 ridiculum illud mulierum odium tragico obiceretur; acta erat enim Medea 431, Hippolytus Coronifer 428. Sed postea demum invenisse sibi visus est nec scio quis quod ad facetissimas cavillationes Aristophani ansam daret. Iam inspicere Ranas: nova invenies <sup>1)</sup> inridendi causa commenta. Sic enim conclusisse videntur homines maledici ac petulantes: ‚Odit Euripides mulieres; quid ita? quia scilicet ipse suam uxorem deprehenderit malam et lascivam. Habet domi Cephisophontem adulescentem: nonne cohaerent?‘ Hinc illae de uxoris poetae vel uxorum adulteriis narrationes

<sup>1)</sup> v. vs. 1048. 1408.

natae intra annos 410 et 405; nisi quis forte dubitat, quin, si cognosset illo anno Aristophanes, memoraturus eas fuerit in Thesmophoriazasis. Quid vero dicam de Choerila! Haud raro et factum est et fit, ut sero intellegantur quae re vera sint in propatulo. *Χοιρίλην* — haec est genuina forma —, Vulvulam sororem esse *Κερκόλα τοῦ Ἀνδρίου*, nomen a comicis fictum, tam manifestum opinor est, ut nemo semel monitus dubitet. Tamen primus videtur monuisse Wilamovitius (Anal. Eurip. p. 149 adn.) Quid autem statuamus de istis adulteriis? Ficta et commenticia esse adparet, si quidem falsa est illa qua nituntur argumentatio <sup>1)</sup>. Quaerendum est igitur num recte perhibeatur Euripides mulierum osor. Satis longa opus esset disputatione, nisi consentirent fere viri docti <sup>2)</sup>, nullo iure illum adpellatum esse *μισογύνην*. Sunt sane quae improbare soleat in mulierum ingeniis Euripides; sed minime desunt, quae summis laudibus tollat. Quis est, cui non in mentem veniat nobilissimi fragmenti Melanippae (497 apud Nauckium):

*τῆς μὲν κακῆς κάκιον οὐδὲν γίγνεται  
 γυναικός, ἐσθλῆς δ' οὐδὲν εἰς ὑπερβολὴν  
 πέφυκ' ἄμεινον· διαφέρουσι δ' αἱ φύσεις.*

Abiciamus igitur tandem aliquando illas de matre deque uxoribus Euripidis fabellas, abiciamus etiam quae de Cephisophonte narrantur. Qui anno demum 405 commemoratur in Ranis (vs. 944, 1408); nam ex Acharnensium vs. 396 sq. dudum eius nomen expulit Elmsleius <sup>3)</sup>. Atque de adulteriis quidem vidimus. Praeterea comici adfirmant, adiutum esse Euripidem ab illo in tragoediis faciendis (Ran. vs. 944,

<sup>1)</sup> Eam non a me fictam esse docet vita illa Euripidis, (quam priore loco posuit Kirchhoff), ubi dilucide traditur, suae uxoris nequitia commotum Hippolyti fabulam scripsisse poetam.

<sup>2)</sup> Euripides mulierum osor num recte dicatur peculiari libello inquisivit Braut (diss. Berol. 1859). Recte in universum iudicavit W. Ribbeck in ed. Acharn. p. 281. 82.

<sup>3)</sup> Kockius (ad Ran. 944) tamen putat in Acharn. 395 sq. induci Cephisophontem, contra v., si tanti est Hilleri disputationem in Hermae vol. VIII, 446 sq.

frg. inc. IV, fortasse ex Gerytane petitum, Com. II, p. 1177). Eodem pertinent quae de Mnesilocho (v. Teleclid. frg. Com. II, p. 371) et Socrate (v. Teleclid. ibid. et Ar. Nub. I, frg. VIII, de quo cf. Wilamoviti obs. crit. p. 10) Euripidis adiutoribus finguntur. Cre dit illa hodie nemo, nec refutare tanti est.

Iam satis demonstrasse mihi videor, omnia, quae Aristophanes de genere et moribus et vita privata Euripidis facete protulit, plane ficta esse neque ulla fide digna. Quibus abiectis paucissima sane restant, quae de tragici vita habeamus explorata. Sed melius profecto est nihil scire quam falsa scire sibi videri.

Transeo ad alteram disputationes partem, quae est de Aristophane poesis Euripideae inrisore. Quam quaestionem non ita instituere mihi in animo est, ut ostendere coner, quid merito, quid immerito reprehenderit comicus; nam ut iam supra dixi, de arte tragica in universum esset disputandum, neque is sum, qui rem tam gravem tamque difficilem quaestionem parva hac dissertatione diiudicari posse existimem. Quapropter plane aliam viam mihi ingrediendam esse iudicavi, quae et certum aliquem finem habeat neque abducatur in dubitationes infinitas. Demonstrabo igitur, ut brevi praecedam, quasnam Euripidis fabulas in eisquae quidnam reprehendat Aristophanes.

De Euripide nuper optime meritus est Wilamovitius, <sup>1)</sup> qui v. d. cum alia permulta docuit tum hoc explanavit, (An. Eur. p. 144 sq.) a grammaticis Alexandrinis in catalogos relatas esse Euripidis tragoedias genuinas sexaginta septem, quarum nomina etiam nunc restitui possunt omnia. Accedit quod plurimarum etiam argumenta satis nota sunt; ac de omnium temporibus quaecumque sciri possunt adcuratissime Wilamovitius conlegit. Quo facto de poesis Euripideae aetatibus acutissime quaedam enucleavit (p. 172 sq.) in eaque disputatione (p. 179) etiam de Aristophane poetae inrisore obiter

<sup>1)</sup> Analecta Euripidea scripsit U. de Wilamovitz-Moellendorff, Berolini 1875.

adicit non nulla, quae ad meam hanc quaestionem pertinent Itaque si accurate omnia erunt collecta et disposita, quae in singulis Euripidis tragoediis vituperanda vel inridenda putavit Aristophanes quoad eius nunc fieri potest, — videndum erit, num eae tragoediae, quibus ille pepercit, habeant aliquid, quo differant a ceteris. Quod si demonstrari potest, certam quandam comici rationem in ridendo adversario perspicimus Recognoscam igitur Euripidis tragoedias omnes eo indice usus, quem dedit Wilamovitius (p. 147 sq.), et adscribam, quid in quaque habeat comicus quod reprehendat, si quidem eius mentionem faciat inridendi causa.

Iam vero si locos Aristophaneos omnes, qui huc pertinent, congerere suscipiemus, duo eorum inveniemus genera. Unum est eorum, ubi diserte declarat comicus, quid sibi videatur ridiculum et indignum tragica arte; velut in Acharnensibus enumerantur heroes; quos miserrimo habitu induxerat Euripides. Alteri generi adtribuo parodiarum magnam multitudinem. Est ubi ambo genera habeas coniuncta, sicut multis locis Ranarum.

Sed de parodiis non nulla sunt praemonenda<sup>1)</sup>; varia enim earumveniunt genera atque quodam modo diversa. Saepissime Aristophanes aliorum poetarum versus aut ad verbum transcripsit aut paucis mutatis ita adscivit, ut statim sentirent auditores unde sumpsisset. Sensuros autem ubicumque illo artificio esset usus, persuasum ei fuit sine dubio; aliter enim nonne inepte fecisset et insulse? Ac tanta fuit in Atheniensibus liberalis eruditionis et humanitatis copia, ut etiam nihil moniti cognoscerent<sup>1)</sup>, ubi et unde alius poetae versus adhiberentur. Quamquam non desunt loci, ubi dilucide declaret Aristophanes, unde petiverit. velut in Thesmoph

<sup>1)</sup> De eis quae iam sum expositurus, dudum mihi constabat, cum casu quodam incidi in Taeuberi dissertationem de usu parodiae apud Aristophanem (Nachricht von dem Kgl. Joachimsthal'schen Gymnasium, Berlin 1849). Quae dissertatio, egregia me quidem iudice, neglecta paene videtur a viris doctis; in plerisque rebus mecum sentit Taeuberus.

vs. 134 sq. Adfinis Euripidis<sup>1)</sup> inrisurus Agathonem sic alloquitur

καὶ ὁ ὦ νεᾶνις ἦτις εἰ κατ' Αἰσχύλον  
ἐκ τῆς Αὐχοργείας ἐρέσθαι βούλομαι.

secuntur verba Aeschylea, quibus in Bacchum invehitur Lycurgus. Parodiae autem nomine nihil aliud apud veteres designari videtur nisi illud ipsum artificium, quo alieni versus in comoediam transferuntur; v. Suidam s. v. *παροδοῦμενος* — καὶ *παροδία*; ludibrii inrisionisve notio per se non inest in voce parodiae. Sed quam apta sit tragicorum maxime versuum in comoediam translatio ad animum auditoris hilarandum risumque commovendum neminem sane potest fugere. Etenim si res levissimae tragica cum gravitate pronuntiantur, quis est quin rideat? si res tristissimae faceta imitatione ita exprimuntur, ut fiant ridiculae, quis est quin tollat cachinnum? Denique id quoque facile perspicitur, ridicula salsaque versuum imitatione posse fieri, ut alius poeta vel festive perstringatur vel acrius irrideatur vel acerbe reprehendatur. Iam tria habemus parodiarum genera. Primum est ubi alius poetae versus recipiuntur nulla alia de causa nisi quod animo comici obversabantur in scribendo et gratum facturum se spectatoribus existimabat, si oblata occasione admoneret celebrati alicuius loci velut Pindarici. Saepiusveniuntur tales loci in choricis partibus, in carminum initiis praecipue, sicut Equ. vs. 1263 sq., ubi Pindari, Pac. 775, 797, ubi Stesichori versus adferuntur; cf. Acharn. 532. sq., ubi Timocreonis carmen tangitur<sup>2)</sup>. Neque desunt tragicorum versus ita adsciti: Ionis Chii fragmentum habes in Ran. vs. 706, Aeschylus in eiusdem comoediae vs. 992. Postremo Euripidis quoque versus semel recepit Aristophanes nullo inridendi consilio, sed quia celebratissimi erant ipsique comico probati. Luculentissima exempla adferam duo: unum invenitur in Acharn. vs. 659 sq., ubi leviter mutatos pronuntiat chorus nobilissimos

<sup>1)</sup> Mnesilochi nomen tollendum esse nuper docuit Hillerus in Hermae vol VIII. p. 449 sq.

<sup>2)</sup> Plura dabit volenti Taeuberus (de usu parod. ap. An.) p. 6sq



Euripidis versus, qui ab aliis etiam scriptoribus laudantur (v. Nauck. ad Eur. frg. 910). Deinde splendidam pacis laudem, quam cecinerat Euripides in Cresphonte (frg. 462) adscivit ex parte Aristophanes in Agricoliarum frg. 8<sup>1)</sup>. Atque de hoc quidem parodiae genere vidimus; restant duo alia, quae quamquam adcurate mea quidem sententia seiungenda sunt atque distinguenda, tamen non solent satis distingui. Etenim si tragicorum loci cum vi quadam comica transferuntur, saepe fit, ut inrideatur poeta, sed fieri necesse est minime. Quocirca alterum genus parodiae statuamus, ubi tragici versus, qui per se nihil habent offensionis, cum festivo lepore in comoediam recipiuntur aut imitatione exprimuntur; tertium, ubi translatio cum ipsius poetae fit inrisione et vituperatione. Nam qui inridet habet quod reprehendat, nec reprehendit fere quicquam Aristophanes, quin inrideat aut eodem aut alio loco.

Refertae sunt omnes fere Aristophanis comoediae versibus Euripideis lepidissime aut adhibitis aut tactis; permulta igitur Euripidis fragmenta comico debemus. Sed in restituendis tragicis verbis summa opus est cautione. Nam et mutavit suo arbitrio permulta et saepissime nullum certum imitatus locum tragica gravitate induit orationem, id quod *παρατραγωδεῖν* vocant grammatici; ex quo efficitur, ut haud raro diiudicare non queas, quid tragoediae adtribendum sit, quid comoediae, aut quam late pateat illius imitatio: iam aperitur campus coniecturarum sane quam incertarum.<sup>2)</sup> Praesto sunt exempla mihi non multum quaerenti. In Thesm. vs. 1029 sq. Adfinis Euripidis Andromedae personam induit, et tribuit ei Aristophanes canticum, quod maximam sane partem e clarissima illa tragoedia expressum videtur; sed qui ipsa poetae verba restituere conatus est Fritzschius plura scire voluit quam sciri possunt, id quod

<sup>1)</sup> Maiorem partem eius carminis invenis apud Polyb. XII 26.

<sup>2)</sup> „Apollinea arte opus fuerit, ut ubique dignoscas, quid tragoediae debeatur, quid comici sit generis, quid aliunde repetitum. Nam et tragoedia aliquando remissior est, et comicus lusus ut plurimos delibat aliorum poetarum flosculos, ita haud raro ampullas tragicas imitatione felicissima affectat.“ Nauck, Fragm Trag. p. XII.

plus semel accidit viro doctissimo; cautius rem agere solet Nauckius. Deinde in Lysistr. v. 742.

*ὁ πότνι Ἐλλείθνι' ἐπίσχες τοῦ τόκου*

tragice loqui poetam nemo non sentit, cum praesertim ex ipso metro possit cognosci. Quapropter Meinekius in Vind. Aristoph. p. 129 ex Auga Euripidis petita esse illa verba non sine probabilitate coniecit; nec vero pro certo potest affirmari. Quae cum ita sint, probabunt intellegentes, quod eorum tantummodo locorum qui sine dubio sunt Euripidei, certo fundamento niti volui.

Tragicorum parodias, quae apud comicos inveniuntur diligenter conlegit W. Ribbeckius in appendice editionis Acharnensium. Quocirca existimaverit quispiam, simpliciter me transcripsisse illius v. d. conlectionem. Quod cur non fecerim, sed totam multitudinem iterum congesserim, quae quidem ad Euripidem pertineat, iam est exponendum. Atque id quidem non ita magni duco, quod sunt quae fugerint Ribbecki diligentiam; nec enim contendere audeo, me praeterisse nihil. Sed maxime opinor improbandum est quod tria illa parodiarum genera adcurate distinguere fere omisit, ita ut saepe numero fiat periculum, ne in errorem delabantur lectores multorum interpretum communem. Cum enim noverint, perpetuum Euripidis inrisorem extitisse Aristophanem, ubicumque versus illius proferuntur aut tanguntur, inrissime comicum opinantur et quidnam improbaverit circumspiciunt. Quam rationem falsissimam esse rectissime passim monuit Taeuberus neque is primus; exempli causa nomino Welckerum, qui in clarissimo illo de tragoediis Graecis libro etiam atque etiam negat, omnes Euripidis imitationes inludendi gratia esse factas (velut p. 333, 479, 872). Ac tam manifesta res est, ut neminem fugere possit neque fugerit Ribbeckium (p. 284<sup>1)</sup>); verum multum abest, ut in singulis locis tractandis eam sequatur rationem, quam rectam esse antea concessit. Equidem cum de Aristophane Euripidis inrisore disseram, operam dabo, ut adcurate eos locos distinguam, ubi cernitur inrisio; quapropter ceteri etiam loci commemorandi erunt, ut intellegatur, quonam differant ab illis.

<sup>1)</sup> Auch hier ist keineswegs alles, was sich davon auffinden lässt als Spott und Verhöhnung gemeint.

Quodsi contigerit, ut versus quosdam Aristophaneos aliter ac solent explicandos esse ostendam, ad artem et ingenium comici perspicendum pro virili mea parte contulisse mihi videbor. Iam igitur percenseamus Euripidis tragoedias, Wilamoviti catalogum secuti<sup>1)</sup>.

1. Alcestis pro satyrico dramate acta a. 438.

Facetissimus est locus Acharnensium (vs. 883), ubi Dicaeopolis anguillam ita adloquitur

*πρέσβειρα πεντήκοντα κοπῶδων κορῶν,*

quae verba lepidissima parodia exprimunt Aeschyli versum hunc (frg. 168)

*δέσποινα πεντήκοντα Νηρήδων κορῶν<sup>2)</sup>;*

vides poetae in augenda vi comica artem, ut qui pro Aeschyli *δέσποινα* et *κορῶν* posuerit *πρέσβειρα* et *κορῶν*, quo graviore sono incederet oratio quoque magis fiat ridicula<sup>3)</sup>. Ceterum facile intellegitur, minime id egisse poetam, ut inrideret tragicorum principem; immo in sola splendidi versus ad rem levissimam translatione posita est loci urbanitas. Simillima est ratio versuum 893, 4, ubi eandem anguillam idem salutatur

*μηδὲ γὰρ θανῶν ποτε*

*σοῦ χωρὶς εἴην ἐντετευτλανομένης.*

verba ex Eur. Alc. 367, 8 expressa; Admetus fidissimae uxori adfirmat *μ. γ. θ. π. σ. χ. ἐ. τῆς μόνης πιστῆς ἐμοί*. Mira de hoc loco narrat Ribbeckius in commentario p. 253 ineptissimos esse Euripidis illos versus declarans; quod si quis credit, non dubitabit, quin Aristophanes idem senserit idcircoque perstrinxerit poetam. At spero fore qui non credant. Ribbeckius postquam sex adtulit locos Aristophaneos, quibus Alcestidis versus tangantur, addit (p. 287), illam potissimum fabulam ansam praebere et tamquam evocare ad parodiam faciendam, quoniam perversa et inepta sint in ea fere omnia. Nolo hic de Alcestide plura disputare, quamquam satis temere

<sup>1)</sup> Fragmentorum numeros referas ad Naucki Fragm. Trag. Graec. Lipsiae 1856.

<sup>2)</sup> Ita scribo cum Bentleio.

<sup>3)</sup> propterea non concedo Nauckio, *πρέσβειρα* etiam Aeschulo esse restituendum; consulto sine dubio mutavit comicus.

iudicasse Ribbeckium arbitror; id iterum contendo, qui eius v. d. verba legat, necessario adduci, ut opinetur idem Ribbecki quidem sententia sensisse Aristophanem. Quid vero quod haec secuntur verba: „Alles dies sieht selbst schon wie Parodie aus und musste sehr zur Nachahmung herausfordern auf der komischen Bühne, die aber hier wohl nicht kritisiren wollte“?! „Non cohaerent“ dixeris tuo iure. Sed gaudeo, quod tandem elicuimus veram Ribbecki sententiam, quae mirifice concinit cum mea. Noluit Aristophanes severe iudicare aut reprehendere Alcestin; igitur non inririt; nam, ut supra dixi, qui inridet, habet quod reprehendat. Sed inspicimus iam illos sex locos In Ach vs. 893, 4 nihil inesse inrisionis monuit Taeuberus (de usu par p. 12); idem facile concedetur de Equ. 1250 sq. (= Alc. 181,2), idem equidem sentio de Av. vs. 1244 (= Alc. 675)<sup>1)</sup>. Vesp. vero vs. 751, quem ad Hippolyti vs. 230 referunt scholia, ad Alc. vs. 866 (quem contulerat Berglerus) revocat Ribbeckius, fortasse omnino huc non pertinet, si quidem poterat poeta illa verba tragice pronuntiare, etiamsi nolebat certum ullum locum exprimere Restant Nub. vs. 1415 et Thesm. vs. 194, quibus festive tangitur Alc. vs. 691. Mirum est sane illud Admeti cum patre colloquium, neque negaverim in Nub. illo versu praecipue posse aliquid ludibrii inesse; sed quamquam certo diiudicari ea res nequit, tamen equidem statuo, etiam sine inrisione Aristophanem illos locos proferre potuisse. Quod utut se habet, nec Fritzschio (ad Thesm. 194) concedendum est, „saepe ac multum rideri“ Alcestin, nec Wilamoviti (An. Eur. p. 179), infesto odio ab Aristophane exagitari.

2. Andromacha docta per Democratem initio belli Peloponnesiaci.

In Nub. vs. 717 sq. tragice conqueritur Strepsiadem, nec vero ita, ut ad certum ullum locum Euripidis aliusve poetae verba eius possint referri. Ad Andr. 1078 revocari vult Rib-

<sup>1)</sup> Av. vs. 539 conferas cum Alc. 442; num de industria imitatus sit illo loco Aristophanes valde dubito.

beckius<sup>1)</sup>, ad Hecub. vs. 161 probabilius Kockius et Wilamovitius (An. Eur. p. 151); scholia nihil habent eius modi. Certe comparari possunt et illi et alii fortasse tragicorum loci; nec vero credendum est, Aristophanem ad certi ex eis unius similitudinem consulto scripsisse Nub. vs. 717. Quod autem Aristophanes teste Phrynico ἀκύμων dixit pro ἄγονος (v. Bergk. frg. Ar. inc. 123) sicut Euripides in Andr. vs. 158, in parodi- arum numero non reponam<sup>2)</sup>. Itaque Andromacham a comico tactam esse non potest probari, nedum inrisam.

3. Ἀλκμέων ὁ διὰ Ψωφίδος acta 438.

Eupolis in Ar. Equ. vs. 1302 usus est versu Euripideo ex hac fabula petito; utrum quid mutaverit necne ignoramus; inrisio cernitur nulla.

4. Aeolus acta ante 421.

Hanc fabulam, quae apud posteros haud mediocrem ad- epta est laudem — ,nobilis est Canace fratris amore sui' — severe graviterque non semel reprehendit Aristophanes. Ar- gumentum ut foedum ac turpe detestatur in Nub. vs. 1371, 2, qui ad alteram editionem revocandi videntur, deinde in Ran. vs. 850 et 1081. De Aeoloscione accedit Platoni testimonium, quod supra (p. 11) adscripsi; sed quemadmodum in illa comoe- dia rem egerit incertissimum est; v. Welckerum de trag. Gracc. p. 871, 2 et Bergkium Com. II, p. 943, qui frg. 8 huc revocandum coniecit. Legebatur in Aeolo famosus ille versus (frg. 19) τί δ' ἀσχρόν, ἢν μὴ τοῖσι χρωμένοις δοκῆ; quem Lais traditur adhibuisse ad inridendum Euripidem; v. Machonis versus apud Athenaeum XIII, p. 582 d. Cernitur in eo so- phistica quaedam ratio, quam facetissime inlusit atque explo- sit Aristophanes in Ran. vs. 1475<sup>3)</sup>. Restant Pac. vs. 114 et

<sup>1)</sup> Vesp. vs. 995 sq. exprimi Andr. 1076 sq. non audeo affirmare cum Ribbeckio.

<sup>2)</sup> „Blosse Wiederholungen ohne ersichtlichen parodischen Zweck werden nicht erwähnt werden" promittit Ribbeck. p. 284; iam quaero, quam in voce ἀκύμων parodiae rationem perspexerit.

<sup>3)</sup> Ran. vs. 1474 etiam ex Aeolo adspitum esse coniecit Fritzschi- us; v. quae supra exposui p. 20 et Nauckii verba adscripta in adn. 2

119 (= frg. 17, 18), in quibus nihil invenias inrisionis, et Thesm. vs. 177, 8; ubi leviter mutati repetuntur Euripidis versus (frg. 28) fortasse ad spinosam eius dicendi artem per- stringendam.

5. Alexander acta 415.

Ridet Aristophanes translationem, quae inest in verbis καὶ χρόνον προῦβαινε πούς, ut παρακεκινδυνευμένον τι in Ran. vs. 99. 100, cf. vs. 311.

6. Andromeda acta 412.

Lysistr. 962 sq. num expresserit comicus Andromedae verba (frg. 116) ποταὶ λιβάδες, ποταὶ σειρήν; id quod adfirmat scholiasta, equidem admodum dubito et malo illos versus ipsius Aristophanis ingenio adtribuere. In Ran. vs. 105 legimus.

μὴ τὸν ἐμὸν οἶκει νοῦν· ἔχεις γὰρ οἰκίαν;

ubi schol.: καὶ τοῦτο παρὰ τὸ ἐν Ἀνδρομάχῃ· μὴ τὸν ἐμὸν οἶκει νοῦν, ἐγὼ γὰρ ἀρκέσω. Qui versus cum non legatur in Andromacha, ἐν Ἀνδρομέδῃ correxit Matthiae (v. Nauck. frg. 145), Sed quae contra disputavit Fritzschi- us in comment ad Ran. p. 71, 2, minime sunt aspernanda. Inspiciendus est Sui- das, ut qui pleniore scholiorum usus sit exemplari; apud quem invenimus haec: μὴ τὸν ἐμὸν οἶκει νοῦν· ἔχεις γὰρ οἰκίαν παρὰ τὸ ἐν Ἀνδρομάχῃ Εὐριπίδου· ἢ οὕτως· μ. τ. ἐ. ο. ν. ἐγὼ γὰρ ἀρκέσω. Qui haec scripsit grammaticus meminerat for- tasse Andromachae vs. 581; versum autem illum, quem recte seiunxit Suidas, ex alia Euripidis fabula petatum esse credibile puto. Risit comicus iterum audacem translationem, quae cer- nitur in verbis μὴ τὸν ἐμὸν οἶκει νοῦν; cf. Ran. vs. 100.

Relinquitur lepidissima illa Thesmophoriazusarum scaena, qua Euripidis nobilissima tragoedia repraesentatur quaque nihil umquam facetius scriptum est. Adfinis Euripidis captus a mulieribus et a Scythia custoditus partes agit Andromedae, ipse Euripides primum Echus, deinde Persei induit personam. Quanta vero festivitate Aristophanes ornaverit illam scaenam, quam urbanis salibus condiderit, quam ridiculam induxerit Scythae importunitatem nemo non sentit. Cum autem dif- ficillimum sit ubique diiudicare, quid Euripidi tribuendum sit,



quid Aristophani, efficitur ut quae in singulis tragoediae versibus offensionem fuerint definiri non possit, nisi quis totam scaenam commentario illustrare suscipiat, id quod ab hac dissertatione alienum est. In universum explodere mihi videtur Aristophanes duo Euripidis inventa: primum canticum illud Andromedae plenum miseriarum et querellarum, deinde mirum illud *μηχανημα*, quo usus Echo poeta in scaenam vocaverat. Ceterum si tanta tragoediae pars parodia exprimitur, multa etiam transcribi, quae per se nihil habeant offensionis, vix necesse est ut addam.

7. Antiopa acta intra annos 411—408

Vehementer errat Ribbeckius, quod in Av. vs. 1381 Pithetaeri verba *παῦσαι μελοδῶν* ex Antiop. (frg. 188,2) repetita esse ponit. Etenim Aves a. 414 docta, Antiopam autem post Andromedam esse actam docet schol. Ran. 53 (v. Wilam An. Eur. p. 148). Restat Thesm. II, frg. 9. Nota est tragicorum consuetudo, ut in nominibus propriis ex ipsa nominum notione capiant omen, quod quasi declaret hominis vel fortunam vel facta; est autem ubi aperte fingatur etymon, ut adhiberi possit illud artificium<sup>1)</sup>. Egregie de eo disputavit Hermannus ad Soph. Aiace vs. 430, ubi et cur eo uti possit tragoedia exponens. Sed aliter res se habet, cum talis nominis interpretatio pertinet ad ea quae evenerunt aut eveniunt, aliter cum nihil fere habet momenti ad ea quae geruntur illustranda. V. c. si in Aeschyl. Agam. vs. 681 sq. Helenae nomen recte illi mulieri inditum ostenditur, ut quae multas naves perdidit (*ἔλεην ναῦς*), si Sophocles Ajax intellegere sese pronuntiat, nomen suum tamquam concinere cum exclamatione *αἰαί*, si in Euripidis Bacch. vs. 508 Dionysus monet Pentheum, nomen eius *πένθος* esse quasi praedictionem, confert hoc artificium aliquid ad animum spectatoris aut lectoris permovendum. Sin autem in Iphig. Taur. vs. 32 Thoantis nomen ducitur ab adiectivo *θός*, neque cerni potest, qui id pertineat ad tragoediae argumentum, merus hic est lusus neque ita ingeniosus; qua-

<sup>1)</sup> Exempla satis multa conlegit Weckleinus ad Iphig. Taur. vs. 32.

propter suo iure Aristophanes versum illum faceta imitatione inrisit in Lemn. frg. 2. Simili modo peccasse Euripides videtur in Antiopa; ubi Zethi et Amphionis nominum ficta usus est etymologia (v. frg. 181, 2)<sup>1)</sup>; quocirca ita inlusit poetam Aristophanes (Com. II, p. 1083):

*Ἀμφοδὸν ἔχρῃν αὐτῷ τεθεισθαι τοῦνομα.*

Ceterum *τεθεισθαι* num scripserit Aristophanes valde dubito.

8. Archelaus *ἀδίδακτος* (v. Wilam. p. 149).

In Ran. vs. 1206 sq. profertur fabulae Euripideae initium, ut rideatur iocoso additamento *ληκύθειον ἀπώλεσεν*; falso quidam (v. schol.) opinati sunt, ex Archelao illa verba esse petita; quorum errorem iam Aristarchus reiecerat neque debebat Kockius referre. Versus ab Aristophane adlegatos *μησφρομένης* tragoediae esse statuit Wilamovitius

9. *Ἀλκμέων ὁ διὰ Κορίνθου* acta paullo post 406 teste schol. Ran. 67; quapropter non est mirandum, nullum nobis locum tradi, quo tetigerit eam Aristophanes. Nam in Ecclesiazusis et altera Pluto desunt versus, quibus Euripidis ullum locum exprimi certo possit demonstrari. De ceteris vero comoediis post Ranas doctis perpauca traduntur.

10. Aegeus.

Ar. Ach. vs. 119 hinc est:

*ὁ θερμοβουλον προκτὸν ἐξυρημένε.*

scholiasta adfirmat, factum eum versum ad similitudinem verborum *ὁ θερμοβουλον σπλάγγρον*, quae in Euripidis Medea inveniantur. Atqui in ea non leguntur; ergo errasse scholiastam statuendam, nisi forte quis ad alteram si dis placet editionem confugiat, id quod nuper fecit Weckleinus (in ed. Medae p. 25). Veri autem simillimam est, ad aliam illa revocanda esse fabulam, quae simili argumento grammaticum ad errorem perducere potuerit. Peliadum igitur esse fragmentum coniecit Elmsleius, quod verum fere creditur (v. Nauck. ad Eur. frg. 852), Wilamovitius nuper ad Aegeum referre maluit non sine iusta causa (v. An. Eur. p. 150). Saepius

<sup>1)</sup> 'Multa id genus admisit Euripides nullo alio fine nisi ut sophisticam promeret eruditionem.' Wilam. An. Eur. p. 190, ubi exempla enumerantur plurima.

facit Euripides homines se ipsos ita adloquentes: *ω ψυχή, θυμέ, ω καρδιά*; quae consuetudo sane eius propria non est<sup>1)</sup> Aristophanes iocose eam interdum adscivit, velut in Ach. vs. 450, Equ. vs. 1194, Vesp. 756, facetissime vero deflexit in Ach. illo vs. 119, quod nescio an iocandi potius quam inridendi causa fecerit.

11. Alcmena.

Schol. Ar. Ran. 536 adnotat: *ὅμοιον τῷ ἐν Ἀλκμήνῃ Εὐριπίδου*. iam sequitur frg. 90. Consulto imitatum esse Aristophanem non concedo Wilamovitio, neque ita existimasse scholiasta mihi videtur. Relinquitur Ran. vs. 93, ubi sine dubio tangit poeta versus Euripideos a scholiasta servatos (frg. 89). Inrisionem tragici detexit Kockius; quippe inepte dici ab illo hirundinem avem Musarum. Si dixisset, sane ineptum se praebuisset, id quod Aristophanis editores libentissime de Euripide credunt. Nec vero debebat Kockius negligere Meineki certissimam emendationem. Scripserat Euripides *ἀηδόων μουσείον*, quod ingeniose mutavit comicus, ut *χειλόδων μουσείον* designaret malorum poetarum loquacitatem. Itaque inrisionis hoc loco nec vola nec vestigium extat, id quod probe intellexit Ribbeckius.

12. Alope numquam, quod quidem sciamus, ab Aristophane tacta.

13. Antigona.

Ran. 1182 et 1187 pronuntiat Euripides Antigonaе suae primos versus, Aeschylus utrumque ineptum et perversum esse contendit; at luce clarius est, eum non minus subtili ac falsa interpretandi ratione uti quam paullo ante Euripidem. Hoc enim demonstrat Aeschylus, si quis ubique velit invenire quod reprehendat, semper eum inventurum. Ran. 1391 Antigon. versum levem esse prae Aeschyleo quodam ostenditur.

14. Auga.

Gravissime reprehenditur Euripides in Ran. vs. 1080, quod Augam induxerat in Minervae templo parturientem. De

<sup>1)</sup> v. Wecklein. ad. Med. vs. 1056.

Lysistr. vs. 742 supra disputavi (p. 21); etsi recte coniecit Meinekius, hoc quidem loco Euripides non inridetur.

15. Bacchae acta paullo post 406; v. quae ad Alcmeonem II, (no. 9) exposui.

16. Bellerophontes acta ante 425.

Notum est quam acerba vituperatione quamque faceto ludibrio hanc tragoediam Aristophanes persecutus sit. Iam primum enim in Acharnensium scaena Euripidea, ubi miserimorum heroum, quos induxerat tragicus, quasi catalogus invenitur, proferuntur etiam *τὰ δυσπινῆ πεπλώματα, ἃ Βελλεροφόντης εἶχ' ὁ χωλὸς οὐτωοί* (vs. 426, 7, vs. 396 apud Ribbeckium, qui in commentario non celavit, quanto opere ipse hanc fabulam centemneret). Claudus igitur erat et veste sordida indutus Euripidis Bellerophontes, miserior etiam OeneoPhoenice Philocteta; itaque cum Telepho in primis inridetur, ubi *χωλοποιόν* Euripidem vocat comicus (v. Ran. vs. 846; cf. 842, 1063; Pac. 147, Thesm 24). Quantos vero risus commovisse putas Trygaeum, utpote qui cantharo insidens alter Bellerophontes ad caelum tolleretur! quam salse explicat filiae, cur hoc potissimum monstro utatur! quid facetius quam quod filia monet patrem (vs. 146 sq.) *ἐκεῖνο τήρει μὴ σφαλεῖς καταρροῆς ἐντεῦθεν, εἶτα χωλὸς ὄν Εὐριπίδη λόγον παράσχης καὶ τραγωδία γένη!* Vides inrideri Euripidis *μηχάνημα*, quo usus ad deos equitantem fecerat heroem, quem postea miserimum induceret. Accedunt tres loci Aristophanei, ex quibus unum praetermisit Ribbeckius. Pac. vs. 722 ex Bellerophonte petitus (frg. 314) ridicule ad cantharum transfertur:

*ὕψ' ἄρματ' ἐλθὼν Ζηνὸς ἀστραπηφορεῖ.*

In Equ. vs. 1249 sq. Euripideis verbis usus devictum se esse confitetur Cleo; vs. 1250 sq. ex Alcestide petuntur, vs. 1249 ex Bellerophonte (frg. 312), ita tamen, ut pro *κομίζετε* ponatur *κωλύθετε*; scilicet machina opus est, si illam tragoediam imitari velis<sup>1)</sup>. Postremo in Vesp. vs. 757 tangitur leviter et sine inrisione Eur. frg. 310; qui locus documento est, pauca

<sup>1)</sup> Etiam v. 1248 ex Bellerophonte receptum putat Kockius sine iusta causa.



verba, quae ipsa per se ne intellegi quidem possint, suffecisse, ut spectatoribus clarissimae illius tragoediae in mentem veniret.

17. Dictys acta 431; numquam commemoratur in Aristophanis reliquiis.

18. Danae. Quam primae poesis Euripideae aetati tribuendam esse numerorum severitas ostendit; extant autem senarii septuaginta duo. (v. Wilam. An. Eur. p. 151; cf. p. 175).

De Thesm. vs 21 ambignum est iudicium; Sophoclem tetigerit an Euripidem, apud veteres iam in controversia fuisse docent scholia; fuerunt enim, qui Soph. frg. 13 Euripidis versum esse opinarentur. Sed respexit fortasse Aristophanes Eur. frg. 325, 3, quae est Naucki et Wilamoviti sententia. Hoc certum est, quicumque tangitur locus, irrideri eum minime; sententiam per se probabilem ridicule adhibet Euripidis Adfinis ad sophisticam eius doctrinam explodendam.

19 Hecuba acta intra annos 425—422<sup>1)</sup>.

De Nub. vs. 718 supra exposui p. 24; in eiusdem comoediae vs. 1165,6, qui locus est alterius editionis, lepide, at sine in risione transferuntur Hecubae verba (vs. 171 sq), ut tragico sono evocet filium Strepsiades. summus autem lepos in eo cernitur, quod apud Euripidem Polyxenam evocat mater luctu adflicta, apud Aristophanem Phidippidem pater gaudio exultans, quod praeclaram Socratis eruditionem animo imbibisse dicitur bonus filius. Exordium illius tragoediae, quocum conferas Troad. vs. 1 et Andr. 1232, faceta parodia expressit comicus auctore Athenaeo III. 112 e, ubi sic legitur: *Θεαρίων ὁ ἀρτοποιός, οὗ μνημονεύει Πλάτων ἐν Γοργία — καὶ Ἀρ. ἐν Γηρυτιάδῃ καὶ Αἰολοσίκωνι διὰ τούτων*

*Ἦκω Θεαρίωνος ἀρτοποιίου  
λιπών, ἕν ἐστὶ κριβάνων ἐδώλια.*

<sup>1)</sup> Actam esse Hecubam a. 425 aut 424 statuit Wilamovitius; sed Nub. 718 exprimi Hec. 162 mihi non persuasit. Post 426 doctam esse propter vs. 455 sq. posuerat Zirndorferus, cuius v. d. chronol. Eur. mihi non fuit praesto; ultra 422 descendere metrum nos vetat.

Athenaei verba si recte traduntur — neque offendit in eis Meinekius, — in utraque comoedia eidem illi versus ab Aristophane usurpati videntur, quae est Bergkii sententia (v. Com. II 946, 1009). Alii aliter existimant viri docti<sup>1)</sup>. Utcumque ea res se habet, si mecum sentis, non risisse comicum Hecubae exordium, sed lepide tetigisse statues, sicut in Ger. frg. I (Com. II p. 1005).

20 Helena acta cum Andromeda 412 (schol. Ar. Thesm. 1012).

Huius fabulae primam partem facetissima parodia repraesentavit Aristoph. in Thesmoph. vs. 850 sq. Adfinis Euripidis postquam intellexit, frigidae Palamedis, cuius ipsum puderet imitatione non posse commoveri Euripidem, ut auxilio sibi veniret, haec secum reputat:

*τῷ δῆτ' ἂν αὐτὸν προσαγαγείην δράματι;  
850 ἐγὼ δα τὴν καινὴν Ἑλένην μιμήσομαι.  
πάντως δ' ὑπάρχει μοι γοναικεία στολή.*

Iam igitur Helenae partes agit et pronuntiat tragoediae prologum saepius interpellatus ab irata Muliere, donec ipse Euripides adveniat Menelai tristi habitu indutus. Singula recognoscas cum Ribbeckio; hic exponere meum est, quidnam in illa tragoedia reprehenderit atque irriserit comicus. Quod significavit primum ipso vs. 850; nova enim illa Helena non modo est, nuper docta' ἡ πέρουσι (Ach. 378), sed fabula novo invento ornata; conferas Fritzschi et Engeri adnotationes. Novitas argumenti et insolentia explotitur; ac manifestum est profecto, quantum differat Helena Euripidea ab antiqua tragoedia. Quamquam enim in Aegyptum delata Helena inventa iam est a Stesichoro, quamquam similia Herodotus (II 112 sq.) memoriae prodidit, id tamen novum erat atque inauditum, quod fabula opinioni communi tam contraria repraesentabatur tragoedia, quae omni insolitae cuiusdam artis nitore distincta esset et inluminata<sup>2)</sup>. Deinde

<sup>1)</sup> Grauertus scribi iubet ἐν Γηρῇ ἢ Αἰολ., melius Taenuberus (do usu par. p. 16, 35) ἐν Γηρῇ ἢ καὶ Αἰολ., Dindorf. ἐν Γηρῇ διὰ τούτων: . . . . . καὶ Αἰολος.

<sup>2)</sup> Argumentum haec fabula habet romanticis, quas dicunt, fabulis vicinum' inquit Hartungius, acerrimus ille Euripidis laudis vindex (Eur. restit. II, p. 343).

vero miserum Menelai habitum ridet Aristophanes, sicut Telephi Bellerophontis Philoctetae reliquorum. Mitto singulorum versuum urbanitatem, quae neminem intelligentem fugere possit.

21. Erechtheus acta ca. 421.

Lysistrata tragica cum gravitate adloquitur Athenienses et Spartanos; quod schol. ad vs. 1131 adnotat, totum versum ex Erechtheo petitum esse, id ad vs. 1135 revocandum ante Nauckium (frg. 365) intellexerat Meinekius (v. Vind. Aristoph. p. 137). Adde Thesm. vs. 120 ex eadem tragoedia receptum. In utroque loco<sup>1)</sup> nulla cernitur inrisio.

22. Epeus.

Huius fabulae obscurissimae nemo veterum meminit.

23. Heraclidae acta intra annos 429—427<sup>2)</sup>.

Non licet fidem denegare scholiastae, qui ad Equ. vs. 214 adscripsit *παρώδησε τὸν Ἰαμβὸν ἐξ Ἡρακλειδῶν Εὐριπίδου*; expressit Aristophanes versum nobis non servatum. Accedit Vesp. vs. 1160, ubi iocose imitatus est Heracl. vs. 1006; fugit hoc Ribbeckium. Inrisa esse haec tragoedia non videtur.

24. Hercules<sup>3)</sup> acta 423,2.

Hanc fabulam non commemorat Aristophanes.

25. Electra acta 413.

Ran. vs. 1307 sq. cantilena illa consuitur ex pannis carminum Euripideorum; vs. 1317 ex Electra petitus per se ipse non inluditur, quod facile est ad intellegendum.

26. Thyestes acta ante 425.

Panni Thyestei in Ach. vs. 433 commemorantur; deinde inrisit hanc tragoediam Aristophanes in Proagone (cf. p. 9), quod satis aperte demonstravit Bergkiius (Com II, p. 1137; cf. frg. II, III). 'Exhibuit comicus quasi Thyestem aliquem, qui ipse suorum liberorum artus comederat.'

<sup>1)</sup> Ar. Hor. frg. XI, (Com. II, 1174) in parodiarum numero reponere non debebat Ribbeckius (cf. Eur. frg. 359).

<sup>2)</sup> v. Wilamoviti rectissimam ratiocinationem, An. Eur. p. 151, 2.

<sup>3)</sup> Falso additamento *μαινόμενος* liberavit fabulae nomen Wilam. An. Eur. p. 59.

27. Theseus acta ante 422.

Facetissime Aristophanes in Vesp. vs. 312 sq. versus Euripideos pro suo arbitrio mutatos adscivit. v. frg. 389, 390, quod fecit loci, non inrisionis causa. Relinquitur Orci Janitoris<sup>1)</sup> in Ran. vs. 465 sq. oratio plena ridiculi furoris (cf. Nauck. ad frg. 386), in qua haud pauca ex Theseo Euripidis petita esse narrant scholia. Sed equidem facere non possum, quin de his versibus adsentiar Wilamovitio. Qui v. d. postquam (An. Eur. p. 161 sq.) ingeniosissime de Pirithoo fabula spuria Critiae adtribuenda disputavit, suspicatus est (p. 171), in illa Janitoris oratione non Thesei, sed Pirithoi versus exprimi ad eamque fabulam Naucki frg. 386—388 esse referenda. Addit v. d.: 'nolim tam clarum tam grave (schol.) testimonium puerili levitate vilipendere videar; non me fugit, sententiam quam amplexus sim evinci non posse, praesertim cum Theseus tragoedia obscurissima sit.' Temerarium sanequam esset, scholiastae testimonium reicere, nisi exempla similis erroris possent adferri. Atqui vidimus, Ach. vs. 119 a scholiasta Euripidis Medae falso adscribi, quod ita explicavimus, ut aliam quandam tragoediam, in qua Medae essent partes, grammatici menti obversatam esse statueremus. Quid igitur? Si in Ran. vs. 465 sq. omnia nos ducunt ad Pirithoum, id quod demonstravit Wilamovitius, num re vera tanto opere verendum est, ne iniuriam faciamus scholiastae aliam similis argumenti fabulam substituentes?

28. Hippolytus (Coronifer) acta 428.

Ar. Ran. 1043 gloriatur Aeschylus

*ἀλλ'οὐ μὰ Δ'οὐ Φαίδρας ἐποιοῦν πόρνας οὐδὲ Σθενεβοίας;*  
(cf. Thesm. 547). Priorem hic Hippolytum significari adfirmat Fritzschius propterea quod in argum. Eur. Hippol. haec leguntur: *ἐμφάνεται δὲ ὕστερον ἡ γεγραμμένος τὸ γὰρ ἀπρεπὲς καὶ κατηγορίας ἄξιον ἐν τούτῳ διώρθωται τῷ δράματι*. Cui testimonio fidem non denego; sed vereor, ne alterius quoque Hippolyti argumentum improbaverit Aristophanes, ita ut utram-

<sup>1)</sup> Aesci nomen expulit Hillerus in Herm. vol. VIII.

que Phaedram scortum adpellare potuerit. Argutias Euripideas inlusit Equ. vs. 16 (= Hippol. 345):

*πῶς ἂν σύμοι λέξιαις ἀμὲ χρῆς<sup>1)</sup> λέγειν.*

Hipp. 374 orationem incipit Phaedra plenam gravissimarum sententiarum, cuius exordium bis inrisit Aristophanes, Equ. vs. 1290 et Ran. vs. 931 Tenendum est autem, explodere eum longas declamationes, quae ad philosophiam pertineant, cum praesertim a mulieribus proferantur; v. Ran. vs. 949 sq. Id quoque ridiculam putasse Aristophanem, quod noctu potissimum dicit Phaedra sese ita considerasse, non censeo neque omnino concedo Kockio, ridiculum esse, si quis de rebus gravissimis noctu cogitet. Splendidos deinde versus, quos in Hipp. (219 sq) admiramur, facete imitatus est Aristoph. in Anagyro (frg. VII) Restat versus ille quodam modo infamis

*ἢ γλῶσσ' ὁμώμοχ', ἢ δὲ φρήν ἀμώμοτος*

(Hipp. 612), quae verba si e sententiarum continuatione eripias, multum sane habent offensionis. Quocirca ter ea inrisit Aristophanes, Thesm. vs. 275, Ran. 101 et 1471, ubi salsissime deflectuntur.

De Vesp. vs. 751 v. p. 23.

29. Supplices acta ca 421.

Av. vs. 829 utrum Eur. Suppl. vs. 447 an Soph. frg. 618, 1 expresserit Aristophanes non liquet. Welckerus (Gr. Trag. p. 755) vero ingeniosa, at sanequam incerta coniectura ad Meleagrum illum versum retulit, quod probavit Fritzschio<sup>2)</sup> et Wilamovio (An. Eur. 155); cf. Nauck. ad Eur. frg. 526. Hoc quidem omnes concedent, minime illo loco inrideri Euripidem.

30. Iphigenia Taurica acta intra annos 411—409.

Huius tragoediae vs. 32 ridetur ab Aristophane in Lemn. frg. II; v. quae disputavi supra p. 26. in prologum cadit τὸ ληκύθιον Ran. 1233<sup>3)</sup>.

<sup>1)</sup> Ita rectissime correxit Bergk. recepit Kirchoff. De forma *χεῖς* saepius restituenda v. Wil. An. Eur. p. 45 (ad Iph. Aul 1014)

<sup>2)</sup> v. Kockium ad Ar. vs. 829.

<sup>3)</sup> Turpi errore lapsus est Ribbeckius, quod Ach. vs. 47 sq. Iphigeniae prologum inludi statuit (p. 304); plus decem annis ante docta

31. Iphigenia (Aulidensis) acta paulo post 406. cf. p. 27 ad Alcmeonem quae disputavi<sup>1)</sup>.

32. Jon.

Av. vs. 524 ita scripsit Bergkius:

*ὥσπερ δ' ἤδη τοὺς μανομένους  
525 βάλλουσ' ὑμᾶς κὰν τοῖς ἱεροῖς,  
πᾶς τις ἐφ' ὑμῖν δ' ὀρνιθευτῆς  
ἴσῃσι βρόχους . . . . .*

Meinekus post vs. 525 excidisse quaedam coniecit in Vind. Arist. p. 93 Hoc perspicuum videtur, verba κὰν τοῖς ἱεροῖς praecedentibus iungenda esse. Nemo opinor vs. 525 legit, quin meminerit Jonis Euripideae vs. 106 sq., ac nescio an eius admonere voluerit ipse Aristophanes

33. Hippolytus (Velatus) acta ante 428.

Argumentum detestatur Aristophanes ut inhonestum in Ran. 1043; v. p. 33. Celebratissimi erant versus Euripidei hi (frg. 639):

*τίς δ' οἶδεν εἰ τὸ ζῆν μὲν ἐστι κατθανεῖν  
τὸ κατθανεῖν δὲ ζῆν. κάτω νομίζεται;*

quos etiam Plato commemorat (Gorg. p. 492 E.) Mulierem verba illa gravissima pronuntiasse docet Ar. Ran. vs. 1082, ubi probro ea poetae vertit Aeschylus; facetissime vero risit Ar. in Ran. vs. 1477, 8. Cuinam autem tragoediae tribuendum sit illud fragmentum non liquet, quia diversa traduntur; v. Nauck. ad frg. 639. Polyido adscribunt viri docti plerique, Hippolyto velato schol. Ar. Ran. 1478 secutus Wilamovitius (v. An. Eur. p. 157).

34. Ino acta ante 425.

est Acharnenses; ac ne scholiasta quidem ita existimasse mihi videtur. Omnino autem nego, versus illos ad Euripidis prologos pertinere, quod immerito scholiastae credunt viri docti.

<sup>1)</sup> Ran vs. 1809 sq. scholiasta tradit petitos ex Iphigenia Aulidensi tunc nondum scripta; non unius versiculi comici meminerunt, quem grammatici postea frustra quaesiverunt' et 'ad fabulosas priores vel posteriores editiones' retulerunt. Huc revocandi Ran. illi versus. Wilam. An. Eur. p. 145, 6.



Inus panni ridentur Ach. vs. 434. Adde Vesp. vs 1412 sq.

καὶ οὐ δὴ μοι Χαιρεφῶν  
γυναὶκὶ κλητεύων ἔοικας θανίνῃ,  
Ἴνοι κρεμαμένη προσπολῶν<sup>1)</sup> Εὐριπίδου.

v. schol. 1413.

35. Ixion acta intra annos 410—408 non tangitur in Aristophanis reliquiis.

36. Cressae<sup>2)</sup> acta 438.

Semel hanc fabulam tetigit comicus neque id inridendi causa in Vesp. vs. 763 (Eur. frg. 468).

37. Cresphontes acta intra annos 430 425.

De Agricol. frg. VIII vidimus p. 20.

38. Cretes.

In Creticas *μονοδίας* invehitur Aeschylus Aristophaneus Ran. vs. 849; deinde eiusdem comoediae vs. 1356 inluditur Cretes verbis ex Icari cantico petitis. Quidni igitur ad hanc potissimum fabulam referamus Creticas illas *μονοδίας*? At concedendum fortasse est Fritzschio, non solam Cretes respici vs. 849, sed totum carminum genus, quod descripsit, ut solet, doctissime.

39. Licymnius.

fabula obscurissima; pertinere huc Ar. Av. vs. 1242 multi crediderunt, cf. Nauck. p. 402, 3; negavit Wilamov. obs. crit. p. 16 adn. 24.

40. Medea acta 431.

In Thesm. vs. 1130 Medeae suae (vs 298) verbis utitur Euripides; ipsa verba non ridentur. Atque quae praeterea Ribbeckius ad hanc tragoediam revocata vult, satis dubia sunt omnia. Nam primum quae nominatur in Pac. vs. 1013 Medea Euripidea certe non est; quapropter Morsimi eam fuisse coniecit Fritzschi (in Ar. Ran. p. 105); cf. Nauck. ad frg. adesp.

<sup>1)</sup> Ita scribendum puto cum Hermanno; recepit Melnekus.

<sup>2)</sup> Ex schol. Ach. 433 conlegerat Volckenaerius, eandem Cressas fabulam fuisse atque Thyestem, quod refutavit Wilam. obs. crit. p. 12, 18. Accessit certissimum testimonium marmoris Piraeici, quod depinxit idem v. d. in An. Eur. p. 137 sq.

4. Deinde num Ar. Nub. vs. 1397 ad Med. 1317 referendus sit, admodum dubito. Cur vero coniecerit Kockius, Nub. vs. 41 exprimi Medeae exordium, fateor me non intellegere; quod si cui persuaserit, ubicumque invenitur hoc dicendi genus: *εἶθ' ὄφελε τὸ δεῖνα μὴ γενέσθαι*, Euripidis imitationem statuere licebit. Quid loquar de reliquis omnibus locis, quos cum Medeae quibusdam possis comparare? Relinquitur, ut agam de Ar. Ran. vs. 1382, 3. Vincitur ibi Medeae primus versus Aeschyleo quodam, non inridetur. Exagitari hanc tragoediam ab Aristophane probari nequit.

41. Meleager.

De Ar. Av. vs. 829 sq. supra disputavi p. 34. Mentionem facit huius fabulae Euripides in Ran. vs. 864; eiusdem comoediae vs. 1238 demonstratur ad Meleagri primum versum quadrare *τὸ ληκύθιον*. In ridicula choricorum carminum faragine (Ran. 1309 sq.) ex Meleagro etiam petuntur frustula, v. frg. 527; manifestum est autem, non ipsa illa verba explodi, sed in locis inepte conexis positum esse ludibrium.

42. Melanippa Sapiens acta ante 411.

43. Melanippa Captiva.

In Thesm. v. 545 sq. indignatur Mulier Phaedras Euripidis fabulis representari et Melanippas, non Penelopas. Deinde saepius ridet Aristophanes hunc versum, quem ex Sapientia Melanippa petium esse probabili coniectura adsecutus est Berglerus *ἄμνημι δ' ἱερὸν αἰθέρ' ἀκίχων Διός* (frg. 491).

Primum enim his verbis utitur Euripides in Thesm vs. 272 iurans Adfni, se ei non esse defuturum; qui ridicula respondet. Exploditur poetae philosophia naturalis, sicut initio eiusdem comoediae<sup>1)</sup>. Adde Ran. vs. 100 et 311. Ad Lysistr. v. 1125 extat scholium *ὁ στίχος (οἱ στίχοι Put.) ἐκ σοφῆς Μελανίπης*; quae verba Engerus Dindorfio duce ad vs. 1124 referri mavult. Alii v. d. plures ibi versus ponunt Euripideos; v. Nauck. ad frg. 487. Certo diiudicare eam rem non queas;

<sup>1)</sup> Etiam de philosophia Euripidea nova discimus a Wilamovio, qui (Anal. Eur. 163, 4) hoc in primis docuit, Euripidem in cosmogonia minime sectatorem esse Anaxagorae.

inrisio inest nulla. Melanippae prologo ne adhaereat το ληκύθιον metuit Dionysus in Ar. Ran. vs. 1245.

Ceterum in Sapienti Melanippa satis libere de rebus divinis locutus est poeta; documento est nobilissimus ille versus

Ζεὺς ὅστις ὁ Ζεὺς, οὐ γὰρ οἶδα πλὴν λόγῳ<sup>1)</sup>.

Eius modi sine dubio respexit versus, cum scribebat Aristophanes

τοὺς ἄνδρας ἀναπέπεικεν, οὐκ εἶναι θεοὺς (Thesm. 451).

Postremo facere non possum, quin adscribam memorabilia illa verba, quibus respondit Euripides in Melanippa Captiva ad comicorum cavillationes (frg. 495);

ἀνδρῶν δὲ πολλοὶ τοῦ γέλωτος εἶνεκα  
ἀσκοῦσι χάριτας κερτόμους· ἐγὼ δὲ πως  
μισῶ γελοῖους, οἵτινες σοφῶν περὶ  
ἀχάλιν' ἔχουσι στόματα<sup>2)</sup>, κείς ἀνδρῶν μὲν οὐ  
τελοῦσιν ἀριθμόν, ἐν γέλωτι δ' εὐπρεπεῖς  
οἰκοῦσιν οἶκους, καὶ τὰ ναυστολούμενα  
ἔσω δόμων σφίζουσι —

44. Orestes acta 408.

Narrat schol. Ar. Ran. 303, Hegelochum histrionem Orestae versum 279

ἐκ κυμάτων γὰρ αὐθις αὐτὸν γαλήν' ὄρω  
ita pronuntiasset, ut audirent spectatores γαλήν' ὄρω et tollerent cachinnum; id quod ansam dedit comicis ad iocandum. Exemplum habes in Ar. Ran. vs. 303, ubi cf. Kockium. Sed non inrideri poetam omnibus illis locis, quos adferunt editores, tam manifestum est, ut neminem tale quicquam somniasse putaveris. Tamen vir doctus et de Aristophane optime meritus Cobetus<sup>3)</sup> ita alucinatus est: „Notum, est quantum sibi placuerint comici in explodendo versiculo Eur. Or. 279.”

45. Oeneus acta ante 425.

<sup>1)</sup> Quem postea mutavit poeta; v. Nauck. ad frg. 483.

<sup>2)</sup> Huius fortasse loci memor Euripidem in Ran (838) dicentem facit Aristophanes:

ἔχοντι ἀχάλινον, ἀκρατές, ἀθύρωτον στόμα.

<sup>3)</sup> Obs. crit. in Plat. com. rell. p. 183.

Pannos Oenei ridet Aristophanes Acharn. vs. 418; eiusdem comoediae vs. 472 teste scholiasta πεπαρόδηται ἀσήμεως ἐξ Οἰνέως Εὐρ.; frg. 569, 2 aptissime adhibuit Ar. Ran. 72.

46. Oenomaus acta intra annos 411–408; numquam tangitur in Aristophanis reliquiis.

47. Oedipus acta post 425; non tangitur.

48. Peliades acta 455.

De Ach. vs. 119 v. p. 27.

49. Peleus acta ante 417 (?).

De Nub. vs. 1154, qui alteri editioni deberi videtur, v. Nauck. ad Eur. frg. 625; nescimus, utrum ille versus Euripidis sit an Sophoclis (frg. 448) an utriusque. Transfertur summo cum lepore, non inridetur.

50. Plisthenes acta ante 414.

Aristophanes Av, vs. 1232 expressisse videtur frg. 630, at sine ulla inrisione.

51. Palamedes acta 415.

Salsissime ridetur Thesm. vs. 770 sq. mirum illud μη-χάνημα, quod Oeacem -- is est enim ἐκείνος in vs. 770 -- fecerat adhibentem Euripides; v. schol. 771. Accedit Thesm. vs. 848.

τὸν Παλαμῆδην ψυχρὸν ὄντ' αἰσχύνεται;

Cetera incerta. v. Nauck. ad frg. 586 (Ar. Ran. 1443) et 592 (Av. 842).

52. Polyidus acta post 415 (v. frg. 642,3).

Frg 639 si recte Hippolyto velato tribuit Wilamovitius (v. p. 48), relinquitur, ut de Aristophanis Polyido disputemus. Quamquam, si verum fateri volumus, nihil certi de illa comoedia adfirmari potest, hoc tamen vix dubitandum videtur, Euripidem in ea aliquo modo esse inclusum<sup>1)</sup>. Quam late autem patuerit eius inrisio, id pro certo adfirmare adrogantis est hominis, non intelligentis. Sed si omnia ea, quae de ceteris antiquae comoediae fabulis aut sciri aut probabiliter conici possunt, contulerimus, si consideraverimus, quanam illarum genera etiam nunc possimus

<sup>1)</sup> „Ut optimos quosque fructus vespae invadere solent, ita hanc quoque tragoediam Aristophanes turpaverat”. Hartung Eur. rest. II, 215.

cognoscere, de Polyidi etiam argumento cum aliqua veri similitudine conligere quaedam licebit. Effloruit Atheniensium comoedia atque exulta est laetissimis rei publicae temporibus, cum nulla lex coereret poetarum libertatem ac lasciviam neque res adversae rei publicae quasi hortarentur civem patriae amantem, sileret potius quam rideret (*ἀλλά, μὴ μνηστρακίσης* Ar. Lys. 590). Extitit igitur *ταυροφάγος* ille Cratinus, summus poeta, qui iudice Aristophane violento tamquam amnis impetu prostravit inimicos, comoediae parens. Ac licentia dicendi, praecisa illa lege, qua vetitum est *μὴ κομφοδεῖν ὄνομαστί*, paullo post est restituta. Cratini *Ὀδυσσεύς*, quae nihil aliud erat nisi Odysseae iocosa imitatio, illo tempore scripta videtur, quo valebat illa lex. Sed ne postea quidem videntur poetae omnino abstinuisse illo, ut ita dicam, mansuetiore comoediae genere, quod ex antiquis fabulis petebat argumentum; obiter perstringendi viros in re publica principes occasio numquam non obferebatur. Huc revocanda videtur Aristophanis Centaurus, huc referenda Progaon, qua Thyestae fabulam expressam esse credibile puto; (cf. p. 32). Iam vero post cladem illam Siciensem cum tristiora in dies evaderent rei publicae tempora, imminutam ac paene fractam esse comicorum lasciviam quid mirum? Itaque ne refricarent civium animos, non nisi levissime tetigerunt publica vulnera. Scripsit Aristophanes Thesmophoriazusas et Ranas, quae fere totae ad artem poeticam spectant; quamquam in Ranis plura invenies de re publica admonita, id quod non mirabimur, si reputaverimus quando docta sit ea comoedia. Illo igitur tempore etiam id genus floruisse, cui Centaurum tribui et Proagonem, non insulse suspicabimur. Eligebat poeta fabulam carminibus celebratam vel tragoediis inlustratam, quam faceta imitatione in risum deflecteret. Polyidi autem famam tractaverat Aeschylus in Cressis, Sophocles in Vatribus, in Polyido Euripides. Iam quartus accessit Aristophanes eandemque fabulam parodia expressit. Ac sine dubio non pepercit Euripidi: totam autem comoediam eius inridendi causa scriptam non modo non potest probari sed ne simile quidem est veri. Ex paucissimis fragmentis nihil fere elici potest. *Fig. I, vs. 2*

legitur in Sophoclis Electra, (vs. 1173) unde tollendum esse et Euripidis Polyido adscribendum coniecit Bergk; habes versus e tragoedia in comoediam translatum, cetera obscura.

53. Protesilaus.

Huius fabulae apud Aristophanem mentio non fit.

54. Rhesus docta ab adolescentulo Euripide, Alexandrinorum iam aetate deperdita; non tangitur ab Aristophane.

55. Stheneboea acta ante 423.

Argumentum reprehenditur ut foedum et tragoedia indignum in Ran. vs. 1043. Mira narrant eiusdem comoediae vs. 1050, 1: adeo puduisse nobiles quasdam uxores Bellerophontis Euripidei, ut mortem sibi ipsae consciscerent. Quid nam veri subsit equidem statuere non audeo, praesertim cum ne scholiastam quidem de re illa permira perque obscura quicquam scisse videam. Quapropter cohibendum censeo ad sensum ab eis, quae Welckerus de trag. Gr. p. 783, 4 et Fritzschi ad vs. 1051 exposuerunt; silet Kockius. In Thesm. vs. 403, 4 tangitur frg. 667, non inridetur; etenim si callida ratione explicat Mulier, persuadere illo versu poetam maritis, ut uxoribus diffiderent, quo tandem nomine exploduntur ea verba, quibus nitatur tam ridicula ratiocinatio? Quasi vero cavere debeant poetae, ne quis petulanter verbis suis abutatur! Praeterea in Vespis bis tetigit comicus Stheneboeam; utroque loco (vs. 111 cf. frg. 668, vs. 1074 cf. frg. 666) nihil cernitur inrisionis. Pac. vs. 126 totum ex eadem tragoedia petatum esse Meinekius coniecit, cf. schol. et Nauck. ad frg. 665. Denique tertio prologi versui adhaeret *τὸ ληγύθιον* in Ran. vs. 1219.

56. Scyrii

non commemoratur apud Aristophanem.

57. Troades acta 415; non tangitur.

58. Telephus acta 438.

Nullam Euripidis tragoediam facetius inrisit, acrius reprehendit, crudelius laceravit Aristophanes quam Telephum. Itaque editores eius plerique non satis facturos sese muneri opinati sunt, nisi fortiter pronuntiassent, quanto opere ipsi contemnerent istam tragoediam. Aliter senserunt Athenienses,



aliter Aristoteles, aliter posteri: quid refert? At nolui de arte Euripidea disputare: revertor ad Aristophanem.

Lepidissima illa Acharnensium scaena in eo posita est, quod Dicaeopolis metuens, ut persuadeat choro mortemque effugiat, Euripidem adit mutuaturus miserabilem aliquem vestitum. Iam sequitur miserrimorum heroum ille catalogus; at nullus tanta misericordia dignus videtur quanta Telephus mendicus. Eius igitur habitu indutus orationem suam habet Dicaeopolis plenam versuum ex illa tragoedia petitorum: scilicet imbibit etiam animo versutam illam ac spinosam dicendi artem, qua excellebat Telephus. Longum est singulos versus enumerare vel quid in quoque loco insit ludibrii adcurate exponere. Inridetur Telephi miseria ut indigna tragica arte, inluduntur ut ex trivio adreptae vilissimae illae res, quibus praeditum induxerat eum poeta <sup>1)</sup> exploduntur argutiae orationis. Omnia autem tam lepide, tam ingeniose, tam salse proferuntur, ut nihil umquam perfectius scripserit Aristophanes. Nec vero obliviscendum est, minime omnes versus, qui e tragoedia recipiuntur, inludi; utitur Dicaeopolis eis, qui quadrent ad rem exponendam. Sed inspiciamus iam ceteros locos, quibus tangitur eadem tragoedia. Dicaeopolis ubi videt Acharnensium furorem non posse mitigari, carbonum corbem adreptam clamat sese interfecturum, qua re commoventur carbonariorum animi. Ridiculam hanc esse imitationem scaenae illius, in qua parvulum Orestem adripit Telephus, in propatulo est. At evolve scholia: ad vs. 332 haec invenies adscripta: τὰ δὲ μεγάλα πάθη ὑποπαίζει τῆς τραγωδίας, ἐπεὶ καὶ ὁ Τηλέφος κατὰ τὸν τραγωδοποιὸν Αἰσχύλον, ἵνα τύχη παρὰ τοῖς Ἕλλησι σωτηρίας, τὸν Ὀρέστην εἶχε συλλαβῶν. Itaque Aeschyli Telephus eodem artificio est usus, neque Euripidis solius inventum a comico lepide transferri intellegitur, inrideri non dixerim <sup>2)</sup>. Confert recte scholiasta Thesmophoriazusa-

<sup>1)</sup> τὰκόλουθα scil. τῶν φανῶν, velut τὸ μύσιον πιλιδιον, τὸ πτωχικὸν βακτηριον, similia, de quibus facete dicit Dicaeop.

χρῆος μὲν οὐδέν, βούλομαι δ' ὅμως λαβεῖν.

<sup>2)</sup> Fuerunt qui errasse scholiastam contenderent et solum Euripidem designari a poeta; videlicet ne Aeschilo obtrectasse videretur bonus Aristophanes; v. contra O. Jahn. 'Telephus u. Troilus', p. 36, 38.

rum eum locum, ubi Adfinis Euripidis utrem eripit uni ex instantibus mulieribus (vs. 689 sq.); nimirum pro infante utrem habet illa, quem sibi ademptum misere vociferatur. In Ach. vs. 8 verba ἄξιον γὰρ Ἑλλάδι ex Telepho recipiuntur sine ulla inrisione <sup>1)</sup> Transeamus iam ad alias comoedias. Atque in Ranis quidem iterum reprehendi eandem tragoediam eademque probro verti poetae necesse est; adde Thesm. 24. Alio autem loco exagitur Telephus nullo. Etenim si in Equ. vs. 1240 Euripideis verbis utitur Cleo, aptissime ea adsciscuntur, inridentur minime. Ac plane idem equidem sentio de Equ. vs. 813 = Plut. 601 (ubi cf. Hemsterhusi adn.) = Tel. frg. 723 (ubi v. Naucki adn.), idem de Nub. vs. 891 (cf. frg. 721) et Pac. vs. 528 <sup>2)</sup> = frg. 727, idem denique de Lys. vs. 706 = frg. 704 <sup>3)</sup>

59. Temenidae;

tangitur teste scholiasta in Ran. vs. 1338; in ridiculo illo cantico, quod Euripideo tamquam more componit Aeschylus, ex hac quoque tragoedia quaedam petit, quae ipsa per se non inridentur; quae verba Euripidis fuerint difficile est ad definiendum.

60. Temenus numquam respicitur in Aristophanis reliquiis.

61. Hypsipyla acta intra annos 411—409.

Ad prologi tertium versum quadrare τὸ ληκύθιον ostenditur Ran. vs. 1213. In ridiculo carmine ex choricorum Euripidis poematum locis consuto vs. 1320 et 1322 Hypsipylae adtribuuntur; ipsa verba non exploduntur. Salsissime vero frg. 755 deflectitur in Ran. vs. 1327 ad carminum mendosam varietatem

<sup>1)</sup> Ach. vs. 659 sq., de quibus vidimus p. 19, 20. ad Telephum retulit Bergk. (rell. com. ant. Att. p. 135. 6) sine iusta opinor causa; probavit tamen O. Jahn p. 26, 27.

<sup>2)</sup> De schol. Pac 528 v. Wilam. An. Eur. p. 155.

<sup>3)</sup> De Telepho ab Aristophane inrisa adeo constabat grammaticis; ut interdum mera coniectura versus quosdam ad eam videantur retulisse. Huc revocandum schol. Ach. 472: τοῦτο πεπαράθηται ἀσήμως ἐξ Οἰνείως Εὐρέ: ὁ δὲ Σύμμαχος καὶ ἐκ Τηλέφου φησὶν αὐτό. Ran. vs. 1400, quem Aristarchus ad priorem Telephi editionem revocavit, μὴ σαζομένης tragoediae erat (v. Wilam. p. 146, 1). Frg. 878 facetissima parodia exprimitur Ran. vs. 840; Telepho fortasse recte attribuit Musgravius.

inridendam. De eiusdem comoediae vs. 64 recte iudicavit Kockius, quem Ribbeckius videtur non satis adcurate inspexisse: ille enim negat, inrideri Euripidem, ac rectissime negat. De Nub. 603 sq. non debebat Ribbeckius credere scholiastae. Eccles. vs. 110 et 115 e tragico dramate petitos esse indicat scholiasta (*ἐξ τραγωδίας τοῦτο*). Quaerenti ex quonam respondit ex Hypsipyla Meinekius in Vind. Aristoph. p. 186; quae coniectura quamvis sit ingeniosa, tamen satis incerta est et dubia. Etenim fieri potuit, ut scholiasta nulla alia de causa illam adnotationem scriberet, nisi quod sentiebat, tragice loqui poetam. Sed petierit illos versus ex Hypsipyla Aristophanes: inrisionem cognosces nullam. Postremo Dindorfi opinionem, in Lemniis eam maxime tragoediam esse exagitatam, satis refutavit Bergkius in Com. II, p. 1096, 7.

62. Phoenissae acta 411–409.

Scripterat etiam Aristophanes Phoenissas, quam totam spectasse ad tragoediam Euripideam deridendam satis futilis est Dindorfi opinio<sup>1)</sup>; frg. II ad similitudinem Eur. Phoen. vs. 236 compositum videtur, ac ne hic quidem cernitur inrisionis. Omnia quae de Polyido copiosius supra exposui, revoca ad Phoenissas: cognosces, quid de hac fabula cum aliqua probabilitate conligi possit<sup>2)</sup>. Ceterum non est neglegendum scholium ad Ran. vs. 53 adscriptum: (Andromedae meminit poetae) *διὰ τί δὲ μὴ ἄλλο τι τῶν πρὸ ὀλίγον διδαχθέντων καὶ καλῶν, Ὑψιπύλης Φοινισσῶν, Ἀντιόπης; — ἀλλ' οὐ συγκοφαντή- τὰ ἦν τὰ τοιαῦτα*; ex quo licet concludere, doctissimum illum quidem grammaticum de Hypsipyla aut Phoenissis aut Antiope ab Aristophane inrisa nihil habuisse compertum.

63. Philoctetes acta 431.

<sup>1)</sup> Recte eam aspernatur Ribbeckius; sed cur idem Strattidis Phoenissas, cuius eadem prorsus ratio est, totam in Euripide includendo versatam esse ponat, equidem non intellego.

<sup>2)</sup> Cf. Bergk. Com. II, p. 1167. Welcker de trag. Gr. p. 563. Hartnng. Eur. rest. II, p. 469, 70. Quod Wilam. Anal. Eur. p. 179 adfirmat, scripsit contra Euripidem Polyidum et Phoenissas minime probob-

Miseri Philoctetae panni ridentur in Ach. (vs. 423, 4); frg. 786, 1 respicit Aristophanes in Ran. vs. 282 sine ulla cavillatione

64. Phoenix aeta ante 425.

Caecitas Phoenicis ludibrio est comico in Ach. vs. 421.

65. Phaetho acta ante 425.

non tangitur.

66. Phrixus.

Prologi secundo versui adfigitur τὸ ληκύδιον in Ran. vs. 1226. Quae de duplici tragoediae huius recensione traduntur exposit Wilam. An. Eur. p. 158.

67. Chrysippus acta intra annos 411–409; non tangitur in Aristophanis reliquiis.

Quos versus Euripideos ex incertis fabulis petitos tetigerit Aristophanes enumerare mihi non est in animo. Neque enim huc pertinent, ubi de singulis tragoediis quaeritur. Ceterum non ita multi sunt, et si qui forte adhuc latent, id quod nec negari potest nec adfirmari, latere pergunt propterea quod numquam adcurate dispicias, quid comico sit παρατραγωδοῦντι, quid tragico tribuendum.

Nunc quoniam omnia contulimus, quae ad singulas tragoedias spectant inrisas, restat, ut subducamus summam et explicemus, quoniam inde perspiciatur Aristophanis ratio in exagitando Euripide. Reminiscamur igitur, quas fabulas inrisionis; nec enim ceterae hic veniunt in censum. Iam primum neminem fugere potest, si ita distinguuntur facete ditorum genera, ut ego in singulis locis enumerandis recte opinor distinxi, mirum quantum minus earum fabularum numerum, quas re vera inrisit Aristophanes. Accedit quod inter eas sunt, quae uno loco perstringantur satis leviter, quarum unus vel pauci versus improbentur. Eius generis sunt Alexander Antiope Iphigenia Taurica; addenda fortasse Hecuba, atque etiam Polyidum et Phoenissas adnumeraverim, si quidem singulos tantum earum locos inrisionis esse veri est simile. Quid? si in Alexandro legebatur illa quam perstringit comicus translatio χρόνον προὔβαινε πούς, idcircone statuemus, rideri i-



psam tragoediam? Si facete exploditur inutile poetae artificium, quo Thoantis nomen duxit a *θoός*, idcircone arbitrabimur, improbari ipsam Iphigeniam? ‚At vituperatur prologus’. Recte mones. Prologi simplicitas ac tenuitas inluditur *μη σοζομένης* cuiusdam tragoediae Hypsipylae Stheneboeae Phrixii Iphigeniae Meleagri Melanippae Itaque alterum fabularum genus statuere licebit, quarum certa quaedam pars sola inridetur; quo revocandae Hypsipyla Phrixus Iphigenia Meleager. Forsitan quispiam addiderit Alcestin, in qua Admeti cum patre colloquium explodi erunt qui contendant, non qui mihi persuadeant. Accedit fortasse Cretes, cuius cantica sola videntur vexata. Iam supersunt septemdecim tragoediae, quarum latius pateat inrisio.

|                        |            |
|------------------------|------------|
| 1. Telephus            | acta 438   |
| 2. Philoctetes         | „ 431      |
| 3. Hippolytus I,       | „ ante 428 |
| 4. Hippolytus II,      | „ 428      |
| 5. Bellerophontes      | „          |
| 6. Thyestes            | „          |
| 7. Ino                 | „          |
| 8. Oeneus              | „          |
| 9. Phoenix             | „          |
| 10. Stheneboea         | „ ante 423 |
| 11. Aeolus             | „ ante 421 |
| 12. Palamedes          | „ 415      |
| 13. Aega               | „ post 415 |
| 14. Andromeda          | „          |
| 15. Helena             | „ } 412    |
| 16. Melanippa Sapiens  | „ ante 411 |
| 17. Melanippa Captiva. |            |

Iam conferamus quae Wilamovitius (Anal. Eur. p. 172) sq. de poesis Euripideae aetatibus enucleavit, ubi singulorum dramatum tempora etiam adcuratius definivit.

‚Euripides iuvenis ad id incubuit, ut novis et inauditis fabulis Atheniensium animos delectaret.’ Probari enim potest aut conligi non sine veri specie, ante annum 430 doctas esse decem eius fabulas, quibus nova in scaenam induxit, eodem-

que revocari posse alias tres. Cuius generis sunt Aeolus Bellerophontes Oeneus Stheneboea Ino Phoenix; ex tredecim igitur illis inrisit Aristophanes sex, improbens nova argumenta ut indigna tragica arte et turpia. Contra vulgaris argumenti ante 430 doctae videntur quinque tragoediae, ex quibus tres exagitavit comicus Thyestem Telephum Philoctetam. Accedit prior Hippolytus; si ultra 430 progredimur, incidimus in Hippolytum alteram. Iam vero inde ab anno 428 usque ad 415 magna hiat lacuna. Num id soli casui tribuemus? Quid? si ostenditur, intra hos annos certi cuiusdam generis tragoedias actas esse omnes?

‚Euripides postquam tragoediis, quales prima aetate condidit plausus Atheniensium sibi parare non potuit, — ad Atticas fabulas se convertit; itaque ad Aeschylis exemplum civium animos permovere studuit fabulis ita dispositis, ut res publica Atheniensium agi videretur consiliaque dari praesenti rerum statui convenientia’. (Wilam. An. Eur. p. 178, 9). Quo consilio scripsit Herculem Heraclidam Cresphontem Erechtheum Supplices Ionem, quas omnes eo tempore, quod inter illos terminos iacet, actas esse potest probari. Adde Andromacham, qua id egit poeta, ut Argivorum contra Spartanos odia incenderet ‚Illas autem fabulas,’ inquit Wilamovitius, ‚Aristophanes vix semel bisve neque semper inridendi causa respicit’. ‚neque umquam inridendi causa’ rectius dixisset. Quod si tenemus, ecce inlustratur quodam modo illud Agriolarum fragmentum, quo eximium Cresphontae Euripideae carmen expressit Aristophanes.

Sed illud etiam fabularum genus abiecit senex Euripides <sup>1)</sup> Etenim inde ab anno 416 vulgaria praecipue argumenta tractavit, at novis ac portentosis inventis inluminata; cuius generis quindecim nominari possunt tragoediae, cum nova argumenta quattuor tantum illius temporis dramatis protulerit. Aristophanes autem non desiit, inaudita illa *μηχανήματα* explodere, non destitit, novam et sermonis et musicae artem a-

<sup>1)</sup> Quod cur fecerit certo diiudicare nemo volet; sed ingeniosissimam coniecturam fecit Wilamovitius p. 179.

cerbe reprehendere, non dubitavit, mulieres illas, quas induxit Euripides philosophantes magnisque animi perturbationibus commotas, spernendas esse atque reiciendas proclamare. At memorabile videtur, non posse ostendi, ullam tragoediam post 411 doctam a comico esse inrisam; qua de re coniecturam periclitari non audeo.

Iam vero ut finem faciam, brevi comprehendere mihi in animo est quae hae dissertatione demonstrasse mihi videor. Statuendum igitur arbitror

primum: omnia, quae ab Aristophane de Euripidis genere moribus rebus domesticis salse proferuntur, ficta esse et fide indigna et a vitae scriptoribus reicienda;

deinde: si adcurate inquirimus quasnam fabulas Euripideas ab Aristophane inrisas ostendere possimus, exiguum tantum modo earum partem re vera explosam inveniri; id quod solo casu factum non est. Vidimus enim, secundae illius aetatis fabulas numquam esse exagitatas; ex quo intellegitur, eam quidem poesis Euripideae partem non improbandam iudicavisse Aristophanem. De ceteris tragoediis non inluis equidem nihil adfirmo; quamquam nescio an contingere possit, ut vir doctior me et peritior aliquid eruat. Cui si ego prolusisse quasi viamque aperuisse videbor magnopere gaudebo. Hoc autem loco unum mihi liceat addere. Omisi eas res enumerare, quae poesi Euripideae in universum obiciuntur, omisi quae de singulis tragoediae partibus proferuntur singillatim enarrare. Quid enim iuvat, ea repetere, quae ipse Aristophanes in Ranis tam egregie declaravit? an vero tamquam auxilio venire debui eis, qui divinam illam comoediam non legerint? Accedit, quod non inepte suspicabimur, quae in universum contra Euripidem dicuntur ad eas potissimum fabulas pertinere, quas nominatim adlatas alibi invenimus. Omisi denique copiosius exponere, merito male dixerit Euripidi Aristophanes necne; neque vero dissimulavi, minime stare me ab eorum partibus, qui de hac etiam quaestione comici, ut ita dicam, recinunt dictata.

## VITA.

Natus sum Carolus Lessing Berolini die XIV mensis Augusti anno h. s. LIII patre Maximiliano, matre Berta e Steindorff, quos ambo adhuc superstites veneror. Fidei addictus sum evangelicae. Sex annos natus scholae reali quam vocant traditus postquam primis litterarum elementis imbutus sum, transii triennio post ad gymnasium illud celeberrimum, quod a vetere monasterio nomen traxit. Ubi a Bellermano direttore in IV classem receptus reliquos deinceps altiores gradus adscendi. Anno h. s. LXVII Hermannus Bonitz scholam illam regendam in se suscepit, cui viro et doctissimo et humanissimo maximam me gratiam et debere et habere libentissime profiteor. Maturitatis testimonium adeptus anno LXX universitatem adii Berolinensem, cuius civis fui per octies sex menses. Praeceptoribus usus sum hisce v. d.: Althaus, Bellermann, Bonitz, Bresslau, Curtius, Droysen, Hassel, Haupt, Huebner, Kiepert, Kirchhoff, Lazarus, Mommsen, Mullach, Nitzsch, Solly, Steintal, Wattenbach, Wilamovitz, Zeller. Ad exercitationes philologicas et epigraphicas Huebnerus et Kirchhoffius, ad Aristotelicas Bonitzius, ad historicas Mommsenus et Nitzschius aditum mihi benigne concesserunt; postremo Wilamovitio permulta debeo, cuius societati philologicae per sex menses fui adscriptus. Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias ago quam maximas. Examen rigorosum Halis die XII mensis Decembris a. LXXVI, examen pro facultate docendi Berolini sustinui h. a. die XXIII mensis Januarii.

## Sententiae controversae.

---

### I.

Ar. Vesp. vs. 530 delendum puto.

### II.

Soph. O. C. vs. 560,1 ita scripserim:  
*δίδασθε· δευήν γάρ τιν' ἂν προᾶξιν τύχοις  
λέξας, ὁποίας ἐξαφιστάμην ἐγώ;*

### III.

Hor. Serm. II 3,11 Platonem designari non philosophum clarissimum, sed mediae comoediae poetam, persuasit mihi Wilamovitius.

### IV.

Valeri Flacci Argonautica ad finem perducta fuerint necne di iudicari nequit. Sed in ipsis octo qui extant libris imperfecti carminis certa deprehendi indicia, persuasit mihi neque Thilo neque Schenkelius. Rectius de hac re iudicavit Baehrensus, qui tamen et ipse multa protulit improbabilia.

### V.

Recte Grotius et Stedefeldtius statuerunt, in oratione contra Agoratum habita temporum ordinem consulto esse a Lysia mutatum.

### VI.

Cleophonti Atheniensi iniuria fieri solet ab historiae Graecae scriptoribus.

---